i *Generali.*) Lateranenſi videlicet, relato *in c. nonnulli* 27. *de reſcript.* ubi expoſui præſentem deciſionem.

j *Conſiſtat.*) Unde ſi ratione rei ſitæ coram Ordinario Andegaven. conveniri poterat, ex adductis *in c. ſane* 3. *hoc tit.* nulla irrogabatur injuria, eo quod coram domino feudi conveniretur.

k *Feudi dominus.*) Hæc verba expoſui *in c. cæterum de judic.*

l *I.*) Joannes videlicet, qui alia etiam dotalitii nomine Berengariæ dedit, ut conſtat ex Innocentio III. *lib.* 1. *ep.* 74. & Roger. de Hoveden. ſupra relato.

10 m *In concambium pro aliis rebus.*) Subſiſtunt Interpretes in his verbis, quibus Regina aſſerebat, hujuſmodi caſtrum, quo fuerat ſpoliata, ad ſe ratione dotalitii pertinere, ideo ante omnia reſtitutionem petebat: & inutiliter allegatum fuiſſe titulum poſſeſſionis, ut dicta reſtitutio fieret, conſtat; ſiquidem ſpoliatus etſi de titulo non doceat, reſtituendus eſt ante omnia, *l.* 1. *§. eum qui, verſ. Qui me. l. colonus, l. cum fundum, ff. de vi, & vi.* Imo prædonem reſtituendum eſſe in odium ſpoliantis, docetur *in c. ex litteris* 5. *de reſt. ſpoliat.* ubi docent Barb. *n.* 15. Fermoſin. *q.* 8. Menoch. *de recuperand. remed.* 1. *ex n.* 109. Valenzuela *conſil.* 71. *ex n.* 109. Pet. Barb. *in l. ſi de vi, n.* 125. *ff. de judic.* ubi etiam Barb. *in rationali.* Sed dicendum eſt, quod quamvis verum ſit, ſpoliatum ante omnia eſſe reſtituendum, hoc tamen procedit, ſi ſpoliatus dejectus ſit a poſſeſſione per vim; ſi vero ſine violentia, reſtituendus etiam eſt, ſed non ante omnia: ſi enim qui rem occupavit, in continenti de titulo doceat, ſpoliatus vero defectum patiatur in proprietate, non eſt reſtituendus ſtatim, ut ex Abbate, & Cardinale docent Covar. *de ſponſ.* 2. *p. c.* 7. *§.* 5. *n.* 10. *& l.* 3. *var. c.* 16. *n.* 7. *& practic. q.* 23. *n.* 10. Menoch. *de recuperand. remed. n.* 103. *&* 113. ſic accipientes textus, *in c. quoniam contra, de filiis presbyter. c. ſignificaſti, de divortiis, c. decimas, de reſtit. ſpol. l.* 6. Unde cum Vvilelmus in præſenti ſpecie de proprio titulo doceret, ut impediret reſtitutionem, affirmans Joannem non ſucceſſorem Regis Richardi, ſed prædicti Caſtri invaſorem, & injuſtum poſſeſſorem eſſe, quia plerique exiſtimabant quod poſt mortem Richardi ad Arturium Ducem Britanniæ, fratris Richardi natu majoris regnum ſpectabat, ut refert Cujacius *in præſenti*; recte Regina permutationem ut ſuæ poſſeſſionis titulum allegavit, ne ſi ſpolium abſque vi factum probaretur, & Vvillelmus de titulo doceret, reſtitutio illi denegaretur.

n *Eadem Regina.*) An vidua, eo quod vidua eſt, poſſit coram judice Eccleſiaſtico ſpoliatorem convenire, jam expoſui *in c. ex tenore, hoc tit.*

11 Textus caſus refertur. Cum hujus textus littera ſæpius emendata, caſtigataque remaneat, ex ejus partibus hiſtoria ita repetenda eſt. Berengaria filia Sancii Regis Navarræ nupſit Richardo I. Anglorum Regi, a quo dotalitii nomine, ſeu donatione propter nuptias certa munera, quaſdamque poſſeſſiones accepit: defuncto autem Richardo Rege, Joannes ejus frater in Regnum ſucceſſit, rejecto Arturio ipſius Richardi nepote ex fratre. Berengaria pro poſſeſſionibus ſibi a Richardo dotalitii jure aſſignatis, in concambium, ſeu permutationem a Joanne regni ſucceſſore Caſtrum Segrei accepit: ſed cum ſpoliata eſſet ab Vvillelmo, litteras ab Innoc. III. impetravit ad Archiepiſcopum, Decanum, & Archidiaconum Turonenſem, coram quibus Vvillelmus judicio poſſeſſorio conventus, varia oppoſuit contra dictas Innocentii litteras. Primo reſcriptum illud non valere, quia contra Concil. Lateran. relatum *in c. nulli, de reſcriptis*, ultra duas dietas trahebatur a loco domicilii, quod habebat in diœceſi Rhedonenſi. Secundo opponebat, feudi controverſiam coram ejus Domino eſſe diſceptandam, *c. ceterum, de judic. c.* 6. *&* 7. *hoc tit.* Unde coram Duce Andegavenſi Domino prædicti Caſtri, eo non negligente, quæſtio proponenda erat. Tertio opponebat Vvillelmus, prædictum Caſtrum ad Berengariam non pertinere, quia Joannes, a quo acceperat, non legitimus regni ſucceſſor, ſed invaſor, & injuſtus detentor erat. Tandem falſitatis arguebat prædictum reſcriptum, eo quod littera O, omiſſa erat, ſiquidem pro *ſpoliabatur*, ſcriptum erat *ſpliabatur*. Ad hæc omnia, quæ Vvillelmus objiciebat, Berengaria replicabat, ipſum non tantum in diœceſi Rhedonenſi, verum etiam in Andegavenſi, ubi erat dictum Caſtrum Segrei, etiam domicilium habere; unde non extra domicilium per duas dietas trahebatur. Etiam replicabat, non recte Vvillelmum objicere, quod contempto feudi domino judicem Eccleſiaſticum adiiſſet, cum hoc conceſſum ſit viduis pauperibus, præcipue de dote agentibus: textus *in c.* 1. 87. *dist. c. nuper, de donat. c. ſuper, de v. ſ.* Tandem tertiam exceptionem potius petitorii, quam poſſeſſorii cauſam reſpicere aſſerebat; quibus auditis Honorius III. juſſit præſenti reſcripto judicibus delegatis, ut ſi conſtaret Caſtrum Segrei eſſe in diœceſi Andegav. ibique Vvillelmum domicilium habere, minuſque abeſſe a Turonenſi diœceſi, quam itinere duorum dierum, juxta tenorem prioris reſcripti in cauſa procederent, & quamprimum appellatione remota prædicti Caſtri poſſeſſionem Reginæ reſtituerent. Hactenus Honorius III. in præſenti. Ultimæ tamen exceptionis, falſitatis videlicet reſcripto objectæ, mentio non fit in præſenti ab Honorio; ejus tamen deciſio extat *in c. ex parte, de fide inſtrum.* quod ita ex quinta compilatione noſtri Honorii reſtituo. Ex parte chariſſimæ in Chriſto filiæ B. quondam Anglorum Reginæ fuit propoſitum coram nobis, quod cum nobilis vir Vv. de Guerchia Nanneten. Rhedon. & Andeg. diœceſis, ipſam Caſtro de Segrio ad eam ratione ſui dotalitii pertinente, pro ſuæ voluntatis arbitrio ſpoliaverit, & ipſa ſuper hoc a bonæ memoriæ I. Papa prædeceſſore noſtro ad nos litteras impetraſſet: quia pars adverſa, poſtulatis a nobis induciis deliberatoriis, & obtentis, reſcriptum Apoſtolicum, pro eo, quod in hac dictione *ſpoliarit*, hæc figura O, deerat, aſſeruit vitioſum, proponens nihilominus, quod mandatum expiraverat mortuo mandatore, licet jam a nobis tres citationes, vel quatuor emanaſſent; vos tamen admiſſis hujuſmodi exceptionibus frivolis in ipſo negotio procedere diſtuliſtis. Nos ergo de diſcretione veſtra non modicum admirantes, cum præcedentia etiam per ſubſequentia intelligantur, licet ex ſcriptoris vitio, vel occupatione prædictum O, fuerit omiſſum, ſatis vobis potuit de mandatoris intentione conſtare, nec ejus mandatum in ipſius obitu expiraverat, eo quod res integra jam non erat; ac volentes ut finis litibus imponatur, diſc. v. p. A. ſ. m. quatenus exceptione hujuſmodi non obſtante, in negotio ipſo juxta priorum continentiam litterarum, ſublato, cujuslibet contrad. & ap. obſtaculo, ratione prævia procedatis.

CAPUT XVI.

a Gregorius IX. *Fratri Palmerio SS. Trinitatis.*

CONqueſtus eſt nobis *b* Bononienſis Epiſcopus, quod *c* Poteſtas, & Commune Bononienſ. temporalem juriſdictionem, quæ in quibuſdam Caſtris, & villis Eccleſiæ Bononienſi competit pleno jure, & in cujus quaſi poſſeſſione fuiſſe, ac eſſe dignoſcitur, per violentiam uſurpare præſumunt. *Et infra:* Cum autem valde ſit iniquum, ea quæ collata ſunt pro remedio peccatorum venerabilibus Eccleſiis, vel relicta, aut eis juſtis modis aliis acquiſita, aliis uſibus applicari, propter quod merito invaſores ipſarum rerum, tamquam ſacrilegi ſunt anathemati uſque ad ſatisfactionem congruam *d* ſupponendi. *Et infra:* Mandamus quatenus ſi tibi conſtiterit de præmiſſis, monitione præmiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam ceſſare ipſos ab hujuſmodi, & ſatisfacere de præteritis damnis, & injuriis, appellatione remota compellas.

NOTÆ.

a TRinitatis.) Eccleſia SS. Trinitatis eſt Canonicorum Regularium in Italia, de qua aliqua adducit Gab. Pennotus *in hiſtoria Canonicor. Regular.*

1 b *Bononienſis.*) Henricus videlicet a Frata, ex Canonico Sancti Victoris, Clero ſuffragante, in Præſulem Bononienſem electus anno 1213. magnus vindex, & propugnator eccleſiaſticæ juriſdictionis, ob quam cum ſuis civibus non pauca jurgia contraxit, exercuitque, ut refert Ughel. *t.* 2. *Italiæ ſacræ, in Eccleſia Bononienſi, n.* 65. A Friderico Imperatore ſequens retulit privilegium, quo omnia jura Bononienſis Eccleſiæ rata habentur: & quia ex eo non modicam lucem accipit præſens textus, ex Ughellio illud tranſcribere non injucundum putavi.

Fridericus II. Divina favente Clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Siciliæ Rex glorioſus in perpetuum.

IMperialis Majeſtatis decet eminentiam juſtis fidelium ſervorum deſideriis benignam ſe præbere, & commodam, illorum propenſius vocibus aures Serenitatis ſuæ accommodans, quorum devotionem lucidam, & fidem præclaram in dies commendant obſequia, inter quos dilectum fidelem Principem noſtrum Henricum Venerabilem Bononiæ Epiſcopum præcipuum reputamus, cum ſuæ honeſtatis, & conſpicuæ devotionis certa nobis clareſcant indicia: ideo propter ea præclara ſervitia quæ nobis, & Imperio intrepide exhibuit, & in poſterum creditur exhibiturus, Imperiali magnificentia concedimus, & confirmamus eidem Epiſcopo, & Eccleſiæ Bononienſi, ſuiſque ſucceſſoribus in perpetuum bonos uſus, & conſuetudines, quos & quas Eccleſia Bononienſis habuit. Concedimus quoque, damus & confirmamus præfato Epiſcopo & Eccleſiæ Bononienſi, ſuiſque ſucceſſoribus plenam juriſdictionem omnium Caſtrorum, & locorum ejuſdem Epiſcopi, & Eccleſiæ Bononienſis, & nominatim Caſtri Joannis in Perſichet, & ejus curtis, & pertinentiæ; Caſtri Maxumatici, & ejus curtis, & Podi de Maxumatico; Caſtri publioli, & ejus curtis; Caſtri Flexi, & ejus curtis; Caſtri Unguiani, & ejus curtis. Item concedimus, & confirmamus quod idem Epiſcopus Bononienſis, & ſucceſſores ſui terram cum curte & pertinentiis ſuis liberam, & exemptam integram de cetero habeant, teneant, & poſſideant, cum omni juriſdictione civili, & criminali, diſtrictu, & honore, ſicut eam nunc habet, tenet, & poſſidet liberam & exemptam, & prædeceſſores ſui habere, & tenere conſueverunt; ita quod nulla perſona, vel civitas Bononiæ, ſeu quæcumque alia civitas, vel commune, fodrum, vel collectam, vel aliquam exactionem ibi facere, vel imponere præſumant in ea: in omnibus ſiquidem

dem Caſtris, & locis prædictis, ac terris, & earum pertinentiis, & habitatoribus per præfatum Bononienſem Epiſcopum, ejuſque ſucceſſores habere, & exercere volumus, & ſancimus plenam juriſdictionem in placitis bonis, & ceteris quæ pertinent ad juriſdictionem civilem & criminalem, non obſtante privilegio a nobis Communi Bononiæ conceſſo, cum per illud non intellexerimus auferre, vel diminuere jura Bononienſis Eccleſiæ: nec obſtare volumus privilegium a Sereniſſimo avo noſtro Friderico invictiſſimo Romanorum Imperatore civitatibus Societatis Lombardiæ apud Conſtantiam conceſſum: nec etiam ſtatuta Communis Bononiæ obſtare volumus ſupradictis, quæ concedimus Epiſcopo, & Eccleſiæ Bononienſi: quorum Laberatici, cum Fortunatico, & decurſus aquarum, & alveos fluminum in omnibus locis, & terris prædictis, ſpecialiter regalias, & armarias, quæ, & quas in caſtellis, & locis ſuis, & in eorum pertinentiis habet, & ut liceat ei, ſuiſque ſucceſſoribus cauſas Bononienſis Eccleſiæ omnes per ſyndicum peragere, non præſtito juramento calumniæ ab ipſo Epiſcopo: ita quod alius contra eum hoc jure uti non poſſit, nec adverſarius, nulla lege obſtante. Adjicientes etiam concedimus ſanctæ Bononienſi Eccleſiæ, ut nulla præteriti temporis præſcriptio ab hoc noſtræ conceſſionis decreto, & eidem Eccleſiæ objici poſſit, niſi centum annorum; & deinceps poſſeſſiones, & actiones, & jura, ſeu juriſdictiones ejuſdem Eccleſiæ non niſi ſpatio centum annorum præſcribantur, & Eccleſiaſticæ perſonæ, & Eccleſia Bononiæ, & diœceſis plena gaudeant, atque fruantur libertate, & pace: velut nec ad angarias, vel parangarias, vel alias operas; ſed nec ad collectam, vel exactionem aliquam, quovis nomine cenſeantur, per aliquem noſtrum miſſum, ullamve majorem, vel minorem laicalem perſonam, ſeu per Commune Bononiæ compellantur curare ad breve Communis Bononiæ, vel ſequimentum Poteſtatis, aut in cavalcatam, vel exercitum ire, cum oporteat eos circa ſervitia Dominorum ſuorum intendere. Statuimus inſuper, quod ſæcularis judex de Eccleſiis, & Clericis, & Eccleſiaſticis perſonis prædictæ diœceſis acrebos eorum judicare, vel diſponere non præſumat civiliter, vel criminaliter, niſi quatenus canones ſacri permittunt. Præterea privilegia, & conceſſiones, & quodcumque anteceſſores noſtri Reges, ſive Romanorum Imperatores, etiam ſummi Pontifices, ſeu alia eccleſiaſtica, vel ſæcularis perſona, ſeu terrarum Communia præfatæ Bononienſi Eccleſiæ, ejuſque Præſulibus per donationem, venditionem, conceſſionem, aut alio quovis titulo contulerunt, Imperiali magnificentia confirmamus, & privilegii noſtri auctoritate communimus: alienationes vero, venditiones, & alias conceſſiones factas a prædeceſſoribus præfati Epiſcopi de rebus prædictæ Eccleſiæ, contra legitimas, & canonicas ſanctiones, in damnum, & præjudicium Bononienſis Eccleſiæ, irritamus, & decernimus non valere. Concedimus quoque, & mandamus, quod poteſtas, & Commune Bononiæ in eorum diſtrictu pro bannitis habeant quos Epiſcopus Bononienſis de ſuis terris bannierit, nec eis alii aliquam defenſionem præſtent, donec in banno Epiſcopi erunt. Inſuper Epiſcopum præfatum, & Eccleſiam Bononienſem cum omnibus ad Epiſcopatum Bononiæ pertinentibus, ſub noſtra Imperiali protectione ſuſcipimus. Statuimus ergo, & noſtra Imperiali auctoritate ſancimus, quod nulla omnino perſona, alta vel humilis, Eccleſiaſtica, vel ſæcularis, nullumque Commune hoc noſtræ Majeſtatis privilegium audeat violare, nec aliquibus calumniarum injuriis, ſeu damnis, occaſione ſtatuti, vel conſuetudinis civitatis attentare præſumat: quod qui fecerit, in ultionem temeritatis ſuæ componat ducentas libras puri auri, medietatem Cameræ noſtræ, reliquam partem Epiſcopo & Eccleſiæ Bononienſi: ad cujus rei certam in poſterum evidentiam, præſentem exinde paginam conſcribi, & Majeſtatis noſtræ ſigillo juſſimus communiri. Hujus rei teſtes ſunt Bertholdus Aquilejenſis Patriarcha, & Sigifridus Moguntinenſis Sedis Archiepiſcopus.

c *Poteſtas & commune.*) Quid per poteſtatem, & commune intelligatur, jam expoſui *in c. fin. de judic. c. licet* 10. *hoc tit.*

d *Supponendi.*) Sacrilegos, raptores, ſeu fures rerum Eccleſiarum non ipſo jure excommunicatos eſſe, ſed a judice eſſe excommunicationis vinculo ligandos, probat Suarez *de cenſur. diſp.* 22. *ſect.* 2. *n.* 4. ex hoc textu, *& ex c. fin. de furtis*; nec contrarium ſuadetur *ex c. conqueſti, de ſent. excommun.* in illis verbis: *Eos excommunicatos denuntietis.* Quæ verba ita accipienda ſunt, ut ſacrilegi excommunicati denuntientur, id eſt, publice, & nominatim excommunicentur, *ut in c. tua nos, eod. titul.* illa verba, *ex quo ſunt per ſententiam publicati*, ideſt excommunicati, & publicati, accipienda ſunt, ut docet Pater Suar. *ubi ſupra n.* 5.

Commentarium hujus text. dedimus *in c. cum ſit* 8. *hoc tit.*

CAPUT XVII.

Idem *Epiſcopo* a *Dulmenſi.*

DIlecti filii I. & A. cives Romani, ſua nobis petitione monſtrarunt, quod cum Abbati *b* S. Genoveſæ Pariſienſis ſuper quadam pecuniæ ſumma contra *c* R. prædeceſſorem tuum litteras impetraſſent, tu proponi feciſti, quod omnibus Anglicis eſt a Sede Apoſt. indultum, ut ſuper cauſis pecuniariis citra mare conveniri non *d* poſſint: propter quod idem Abbas in negotio non proceſſit. Verum quia etſi fuiſſet privilegium tale conceſſum, non tamen prodeſſet illis qui ſe certo *e* loco reſpondere, vel ſolvere adverſariis promiſerunt, cum ibi, & ubi domicilium habent, valeant conveniri: mandamus quatenus eiſdem de pecunia ipſa, cum juſtis & moderatis expenſis, & congrua ſatisfactione damnorum (uſuris omnino ceſſantibus ſatisfacias, ut teneris. Alioquin eidem Abbati noſtris damus litteris in mandatis, ut in commiſſo ſibi negotio (propoſita ex parte tua indulgentia non obſtante) juxta prioris mandati tenorem ſine diſpendio moræ procedat.

NOTÆ.

a DUlmenſi.) De Eccleſia Dulmenſi in Anglia nonnulla notavi *in c. cauſam* 9. *de jud.*

b *Abbati S. Genoveſæ.*) Qui eſt judex ordinarius Lutetiæ Pariſiorum *c. olim*, 17. *de reſtit. ſpoliat. c. P. & G. de offic. deleg.* ubi plura adduximus.

c *R. prædeceſſorem.* Cum enim pecunia converſa eſſet in utilitatem Eccleſiæ, per reſcriptum impetratum contra prædeceſſorem ſucceſſor in Sede Epiſcopali conveniri potuit, ut dixi *in c. Rodulphus, n.* 7. *de reſcriptis.*

d *Non poſſit.*) Unde inter gravamina Regni Angliæ hujuſce juris contemptum refert Matthæus Pariſ. anno 1246. Gravatur Regnum Angliæ, quod Anglici extra Regnum „ in cauſis auctoritate Apoſtolica trahantur, contra Regni conſuetudinem, & contra jura ſcripta. “ Et olim Siculos hoc jure uſos fuiſſe, refert M. Tullius 2. *in Verrem.*

e *Certo loco reſpondere.*) Etiamſi diſtet per duas dietas a proprio domicilio, *c. ult. hoc tit. in* 5. *compil.* ubi Honorius III. Epiſcopo, & Abbati S. Proculi, & Priori S. Joannis in monte Bon. ita reſcribit: (Diſcretioni veſtræ mandamus, quod ſi vobis conſtiterit, quod Magiſter Balduinus clericus Laudun. ad reſpondendum prædicto Joanni Bon. ſe adſtrinxerit juramento, & ipſum ad illud obſervandum, & ſuper prædictis, prout tenetur, indemnem reddere, monitione præmiſſa, per cenſuras Eccleſiaſticas, appellatione remota cogatis: conſtitutione de duabus dietis in Generali Concilio edita non obſtante. Quod ſi forte idem I. ſæpe dictum Balduinum, vel ejus procuratorem fecerit laborare Bononiam, nec probaverit quod ad reſpondendum ſibi in civitate Bonon. juramenti vinculo ſit adſtrictus in expenſis legitimis, appellatione poſtpoſita condemnetis.)

COMMENTARIUM.

2 Species refertur, & concluſio deducitur. QUidam cives Romani R. Epiſcopo Dulmenſi certam pecuniæ quantitatem mutuam crediderunt Romæ cum ipſe negotia ſuæ Eccleſiæ procuraret, quam pecuniam promiſit ſe Lutetiæ ſoluturum; ſed eo in propriam Eccleſiam reverſo, ceſſanteque in ſolutione, creditores litteras impetrarunt ad Abbatem S. Genoveſæ: ſed priuſquam illum conveniſſent, vita deceſſit, aliuſque in ejus locum ſuffectus fuit, cum quo ex eodem reſcripto Lutetiæ apud eundem Abbatem agere pergebant. At novus Epiſcopus objiciebat privilegium a Sede Apoſtolica Anglis conceſſum, ne ultra mare in judicium trahi poſſint. Conſultus Gr. IX. a prædicto novo Epiſcopo Dulmenſi, illi reſcribit, quod etſi tale privilegium eſſet Anglis conceſſum, non tamen prodeſſet illis, qui ſe certo loco ſolvere adverſariis promiſerunt, cum in eo loco, & ubi domicilium habent, valeant conveniri: unde illi jubet ut pecuniam ipſam cum expenſis, & congrua ſatisfactione damnorum creditoribus ſolvat, alias prædictus Abbas juxta tenorem reſcripti in cauſa ipſa procedat. Ex quo Gregorii reſponſo ſequens deducitur diſputanda aſſertio: „ Qui promiſit certo loco ſolvere, etſi privilegiatus ſit, ne „ extra domicilium in jus vocetur, ibi, & in loco domicilii „ conveniri poteſt: ſi ſolvat in loco domicilii debitum, con„ grua ſatisfactione damni facta reddere cogitur. “ Probant eam textus *in l. heres* 10. *§. illud, ult. ff. de judic. l.* 1. *& per tot. ff. de eo quod certo loco, l. ſi duo* 16. *§.* 1. *ff. de conſt. pecun. l. contraxiſſe, ff. de oblig. & action. l.* 3. *ff. de rebus auctor. jud. l. quæro* 100. *ff. de ſolut. l.* 3. *ff. de legat. l. uſura* 8. *C. de ſolut. l.* 1. *C. ubi conven. qui certo loco.* Illuſtrant ultra congeſtos a Barb. Garanna, Vega, & Fermoſino in præſenti, Ægid. Hortenſius, & Donellus *in d. l.* 1. *ff. de eo quod certo loco*, Oſuald. *ad Donel. l.* 17. *comm. c.* 14. *lit. C. & c.* 19. *lit. A.* Petr. Barboſa *in l.* 1. *art.* 3. *n.* 230. *& in d. l. heres* 19. *§. ult. ff. de jud.* Duar. *ad tit. ff. de eo quod certo loco*, Narbona *in l.* 25. *tit.* 21. *lib.* 4. *recopil.* Carleval *de judic. t.* 1. *tit.* 1. *diſp.* 2. *q.* 8. *ex n.* 184.

Sed hæc aſſertio ita illuſtrata difficilis redditur ſequentibus ratiociniis. Primum naſcitur ex eo, nam quod non debetur, non exigitur, *l. nihil, ff. de oblig. & action.* ſed quod certo loco promiſſum eſt, alio loco non debetur, quia extra ſtipulationem eſt, cujus natura ſtricta eſt, *l. quidquid adſtringendæ, ff. de verb. oblig.* unde qui petit quod promiſſum eſt certo loco, alibi, plus petit, *§. ſi quis agens, verſ. loco, Inſtit. de action. c. un.* ubi dicemus, *de plus petit.* nec reus invito creditore alio loco, quam eo, quo promiſſum eſt, ſolvere poteſt, *l. qui Romæ* 122. *in princ. ff. de verbor. oblig. l. is qui certo* 9. *ff. de eo quod certo loco*, ubi Donellus, *l. obſignatione* 9. *C. de ſolution.* Donellus, Cujacius, & Duarenus *in d. l. qui Romæ.* Igitur in loco domicilii, aut alibi, 3 Impugnatur hæc aſſertio.

alibi, quam in locum ſolutioni deſtinatum, non poteſt reus conveniri. Accedit, nam cum reus certum locum ſolutioni deſtinavit: cetera ubi conveniri poſſit, excepiſſe videtur, *l. ſi cum dotem, ff. ſoluto matrim.* & non debet debitori jus quæſitum auferri, *leg. ult. ff. de pactis*: aut jus quæſitum eſt debitori ſolvendi in loco ſolutioni deſtinato: igitur alibi conveniri non poteſt. Secundo alias pars præſentis aſſertionis, quæ affirmat pecuniam debitam ſolvi debere in loco domicilii cum expenſis, facta damnorum ſatisfactione, difficilis redditur ex eo; nam cum id, quod promiſſum eſt certo loco, alibi petitur, non ſolum damni, verum & lucri ratio habetur, *c. P. & G. 40. de off. deleg.* ubi Gloſſa *verbo vel loco, c. un. de plus petit.* ut contingit in aliis caſibus, in quibus vel ex pacto, vel negotii qualitate venit totum intereſſe, ut *in l. ſi in l. 24. §. colonus 4. l. ſi fundus 33. verſ. Nam etſi, ff. locati, l. ſi mulier 21. §. commodi, ff. quartum rerum actio, l. ſi commiſſa, 13. ff. rem ratam haberi, l. quidquid 7. C. arbitrium tutelæ, l. ult. C. de ſententiis quæ pro eo*, Vinius *l.2. ſelect. q.37.* Gibal. *li.2. de uſuris, c.5.* Igitur non recte docetur pecuniam Romæ promiſſam, alibi ſolutam, tantum cum expenſis, & damnis eſſe ſolvendam.

4 De loco obligationi adjecto. Adhuc tamen defenſanda eſt præſens aſſertio, quam ut peritiæ Cæſareæ valde conſonam eſſe cognoſcamus, aliqua prælibanda ſunt; & primo ſciendum eſt, mutuo, ſtipulationi, vel ſimilibus contractibus plerumque locum adjici, ut ſolutio fiat, vel res promiſſa præſtetur: & ſicut dies adjecta differt ſolutionem, ita locus præſtat dilationem, quouſque perveniri poſſit in locum ſolutioni deſtinatum, *l. 1. §. qui ita 6. ff. de eo quod certo loco, l. eum qui 41. §. 1. l. interdum 73. l. continuus 137. §. cum ita, ff. de verb. oblig. l. eam 9. §. ult. ff. de duobus reis, §. loca, Inſtit. de verb. oblig.* quod autem ſpatium ad iter faciendum aſſignari debeat, tam in judiciis, quam in contractibus, expoſui *in c. nonnulli, 27. de reſcript.* & ſi a partibus tempus ita breve aſſignetur, ut intra illud impoſſibile ſit locum deſtinatum adire, inutilis eſt ſtipulatio, *§. loca, Inſtit. de verbor. obligation.* niſi per procuratorem, vel alio modo die aſſignata, procuratori creditoris ibi conſtituto pecunia poſſit numerari, *l. ult. §. ſi inter eos, ff. de verb. oblig.* Nec tunc obſtat textus *in l. inſulam 58. §. in operis, ff. locati*, cujus interpretationem adducunt Donellus *l. 12. commen. c.21.* Pichardus *in d. §. loca*, Cheſius *interpret. c. 23.*

5 Ubi conveniatur qui certo loco promiſit. Sed ſi reus non ſolvat in loco ubi ſatisfacere promiſit intra tempus, aut extra conventionem partium aut arbitrio judicis aſſignatum, ſuccedit ad pecuniam debitam exigendam actio ex mutuo, vel certi condictio, ſi ſtipulatio præceſſit, quæ intentari poteſt in loco ſolutioni deſtinato, ſi ibi reus reperiatur, quia cum talis locus habeatur pro loco contractus, *l. contraxiſſe 21. ff. de oblig. & action. l. vinum 22. ff. de rebus creditis, l.3. ff. de rebus auctor. judic.* & forus ratione contractus exerceri non poſſit, niſi ibi reus inveniatur, *c. Romana, §. contrahentes, hoc tit. in 6. l. heres 19. §. 1. ff. de judic. l.2. C. de juriſd.* ita in contractu ficto ratione deſtinatæ ſolutionis non poteſt actio intendi in loco præſcripto, niſi ibi reus reperiatur, aut ſpecialiter juriſdictioni judicis illius loci ſe ſubmiſerit, *l. convenerit 18. ff. de juriſd. l.20. tit.11. li.4. recopilat.* docent Azevedo *ibi*, Carleval. *ubi ſupra, n.262. cum ſequenti*: unde cum Prætor agnoſceret, quod ſi promiſſor ad eum locum, in quem daturum ſe promiſerat, nunquam accederet, vel data opera, vel quia aliis locis detineretur; atque ita facto debitoris elideretur obligatio, non data poteſtate alibi conveniendi, contra principium textus *in l. ſi ſervum, §. nunc videamus, ff. de verborum oblig.* utilem actionem in eum caſum comparavit, *quæ de eo quod certo loco*, nuncupatur; qua alio loco cum commemoratione loci deſtinati agi poteſt, *l.1. ff. de eo quod certo loco*, ubi plura Faber, Ægidius Hortenſius, & Donellus, *l. unic. C. eodem tit.* Cum autem contra juris ſubtilitatem æquitate ſuggerente hæc actio introducta ſit, apparet non directam, ſed utilem eſſe, ut docent Donellus *in dict. l. 1. n. 4.* Faber *lib. 15. conjectur. c. 2.* Vocatur utilis, non quia illam utilitas hominum exigat, ut exiſtimavit doctus Luſitanus Anton. Goveanus *li. 1. variar. lect. c. 40.* ſed potius eo quod directa deficiente, utilitate ſuadente eſt comparata, ut docuerunt Donellus, Duarenus, & Faber *ubi proxime*, Schifordeg *li. 3. tr. 23.* Unde conſtat falſam eſſe eorum ſententiam, qui exiſtimarunt, directam actionem, quæ ex ſtipulatu, aut mutuo, aliiſve contractibus competit, per loci adjectionem utilem, & arbitrariam effici: hæc enim licet cauſa ſtipulationis detur, ut inquit Jureconſultus *in l.2. §. 1. ff. de eo quod certo loco*, diverſa eſt ab ea, quæ directo competit ex contractu, ut obſervavit Faber *d. l. 15. conjectu. c. 2.* ubi exponit textum *in leg. ſi duo 16. §. 1. ff. de conſtit. pecun.* qui communi ſententiæ favere videtur.

6 Hæc actio dicitur arbitraria. Vocatur hæc actio utilis *de eo quod certo loco*, arbitraria *in l. 2. l. centum Capuæ, ff. de eo quod certo, l. unica, C. ubi conveniatur qui certo loco, §. præterea, Inſtit. de action.* ex eo quod ad arbitrium judicis referatur, *l. 3. & 4. ff. de eo quod certo*, velut Africanus ait, quia æſtimationis ratio arbitrio judicis relinquitur, *l. unic. C. ubi conveniatur*, de qua, & de aliis actionibus arbitrariis agunt Cujacius *lib. 7. ad Afric. in l. centum, de eo quod cert. & l. 4. qq. Pauli in l. final. eodem, & li. 18. Pauli ad ediction. ad leg. 5. & 7. ff. eodem, & in l. 27. ff. de condict. indebit.* Faber *15. conject. c.2. de error. decad. 18. errore 5. & 9.* Donellus *lib. 24. c. 2.* ubi plures, Oſualdus Pacius *centur. 5. q. 30. cum ſequentib.* Duo autem ſunt quæ præcipue in hoc arbitrio judicis æſtimantur. Primum, utrum reus conventus alio loco, abſolvi debeat, an condemnari, quoniam interdum abſolvi eum æquum eſt, ex cauſis relatis *in l. 4. §. ult. ff. de eo quod certo*: quod non facile contingebat in actione ex ſtipulatu, ceteriſque judiciis ſtricti juris, in quibus qui conveniebatur, ſi vere debebat, abſolvi nunquam poterat, etſi maxime aliqua exceptione defenderetur, ſi in ea formula judicii non exprimeretur. Duarenus *in l. juriſgentium, verſ. actionem, ff. de pactis*, Faber *l.15. conject. c.2.* Alterum, ut æſtimet quanti interſit ſuo loco potius ſolvi, quam in eo ubi convenitur, quia utilitas loci per ſtipulationem quæſita adimi non debet: item arbitrio judicis relinquitur, ut æſtimet ſi quid actoris interſit loco ſolutioni deſtinato potius, quam in eo, in quo agitur, pecuniam accipere, *l. 2. §. ult. ff. de eo quod certo loco*; idemque eſt quod Ulpianus docet *in l. 3. ff. eodem tit.* arbitrariam actionem utriuſque utilitatem continere, tam actoris, quam rei; & *in d. l. un. C. ubi conveniatur*, ſtatuitur in hanc actionem venire æſtimationem, id eſt quod alterius interſit ſuo loco potius quam in eo, in qua agitur, ſolvi.

Sed antequam ad utilitates tam actoris, quam rei, quæ in hoc judicio veniunt, accedamus, ſciendum eſt, ubi qui certo loco dare promiſit, conveniendus ſit? Et primo ille directa actione conveniri poteſt in loco ſolutioni deſtinato, *l. is qui certo 9. ff. de eo quod certo loco*: ex ratione ſupra adducta quia videlicet locus ſolutioni aſſignatus habetur pro loco contrario, *dict. l. contraxiſſe, ff. de oblig. & action.* Secundo in loco domicilii, quia omnes contrahentes præter forum ratione contractus ſortiuntur forum in loco domicilii, *l. heres, 19. §. 1. ff. de jud. c. unic. contrahentes, de foro compet. in 6.* Utroque loco agi poteſt directa actione, in loco domicilii, ſine ulla loci aſſignati commemoratione, ſi locus adjectus ſit favore creditoris, & illi renuntiando velit agere in loco domicilii, quo caſu accipiendus eſt textus *in d. l. heres, 19. §. ult.* ſed ſi die adjecta, & loco deſtinato reus non ſolverit, ſuccedit actio utilis arbitraria, quæ intentari poteſt cum commemoratione loci in loco domicilii: non enim poteſt agi ad intereſſe etiam in loco domicilii: aliter quam ſi cum commemoratione loci deſtinati agatur, unde cognoſcitur, quid Prætor indulſiſſet actori concedendo actionem utilem in loco domicilii: nam intereſſe, quod per directam actionem conſequi non poterat, per hanc cum commemoratione loci intentatam aſſequi valet, *l.1. ff. de eo quod certo loco*: & hoc caſu accipiendus eſt Gregorius in præſenti, dum docet, poſſe reum conveniri in loco domicilii, etiam ad intereſſe, & juſtas expenſas; ſupponendum enim eſt, actorem intentaſſe actionem utilem, non vero directam: jure enim Pontificio non eſt ſublata differentia actionis utilis, & directæ, ut probat Pichardus *in §. præterea, q.2. per totam, de act.* 7 Impugnatur hæc aſſertio.

Sed priuſquam ad ulteriora procedamus, diſſolvenda eſt non levis difficultas, quæ in hac parte adeſt, an videlicet hæc actio arbitraria de eo quod certo loco, poſſit intentari, ubicumque etiam extra locum deſtinatum ſolutioni, & locum domicilii? & Bartolus *in l. 1. ff. de eo quod certo n. 3.* Nicolaum ſequutus exiſtimavit, per hanc actionem poſſe promiſſorem quocumque loco, etiam non idoneo, conveniri. Sequuntur eum Baldus *in dict. l. unic. C. ubi conveniatur*, Cujacius *ad eum tit.* Faber *de error. decad. 91. error 2. & 3.* quæ ſententia probatur *ex l.1. ff. de eo quod certo, l. eum qui, ff. de jud. l. ſi duo, §.1. de conſtit. pecun.* quibus in locis indiſtincte permittitur ſtipulatori actione arbitraria promiſſorem ubicumque convenire. Accedit etiam, quia ſi hæc ſententia vera non eſſet, ſequeretur inanem, atque inutilem eſſe hanc utilem actionem, cum poſſit promiſſor latitare, tam a loco domicilii, quam ſolutionis. Contrariam tamen ſententiam, videlicet actione arbitraria tantum agi poſſe in loco contractus, aut domicilii, ſeu alio alias competente, tenuerunt Gloſſa, & omnes Claſſici *in dict. leg. unic.* Donellus *in dict. leg.1. ff. de eo quod certo, n. 6.* Gregorius Lopea *in leg. 13. gloſſ. 4. tit. 11. partit. 5.* Barboſa *in dict. l. heres, §. ult.* Carleval *ubi ſup.* quorum ſententia non levioribus nititur fundamentis, primo deducto *ex dict. l. heres, §. ult.* ſecundo ex eo, quia abſurdum eſſet plus tribui creditori illi, qui ſtipulatus eſt certo loco ſibi dari, quam illi, qui nullo adjecto loco contraxit: at qui pure ſine loci adiectione ſtipulatus eſt, tantum poteſt promiſſorem convenire in loco contractus, & domicilii; & qui certo loco dare ſtipulatus eſt, tantum in loco domicilii, & adjecto ſolutioni convenire reum poteſt. Habet etiam æquitatem hæc ſententia, ne videlicet promiſſor pluribus, & diverſis tribunalibus vexetur. In quo interpretum diſſidio placet hæc poſterior ſententia, qua retenta non obſtant textus *in dict. l.1. l. eum, l. ſi duo*, pro contraria ſententia adducti: nam verba illa, *quocumque loco*, quæ in eis extant, accipienda ſunt ſi alias locus idoneus eſt, juxta textum *in l. ut gradatim, ff. de muner. & honor.* docet Jaſon, & Caſtrenſis *in dict. l. 1.* Barboſa *in dict. l. heres 19.* Nec obſtat quod dicebamus, videlicet ex reſtrictione ad locum domicilii, & contractus inutilem reddi hanc actionem; nam alias plures utilitates continet, videlicet expenſarum, & intereſſis, ſi in loco domicilii actio intentetur. 8 Hæc actio an ubique intendi poſſit.

Illud etiam examinandum venit, an ſemper in hac actione arbitraria utilitas actoris, & rei æſtimanda ſit, vel alterutrius tantum? in qua quæſtione Ulpianus *in l.2. ff. de eo quod certo loco*, utriuſque utilitatem æſtimandam eſſe affirmat: Imperator vero *in d. l. unic. C. ubi conveniatur*, alterutrius tantum, ideſt rei, vel actoris utilitatem conſiderandam eſſe docet, ut Africanus ait *in l. centum Capuæ, ff. de eo quod certo loco*, quæ reſponſa pugnantia ut in concordiam redigamus, prius ſcire debemus, quando actoris ſit habenda ratio in hac actione & quando rei? Et ſi de actore loquimur, omiſſa ſententia Irnerii & Placentini, dicendum eſt cum Joanne gloſſatore antiquo, quem ſequuntur Accurſius *verbo Arbitraria, in dict. leg. 2.* ubi etiam Caſtrenſis, Donellus *n.2.* Vveſembech. *ad tit. de eo quod certo, n. 6.* Cujacius *in leg. centum*, ita demum 9 De utilitate utriuſque contrahentis.

mum actoris rationem habendam eſſe, ſi mora a debitore facta ſit quominus certo loco ſolveret. Ulpianus *in dict. leg. 2. §. ult.* Africanus *in d. leg. centum*, eatenus moram rei requirunt ad hanc creditoris utilitatem conſtituendam. Unde quod ſcriptum eſt ſimpliciter *in d. l. 2. & in d. l. unic.* ſic accipiendum eſt, ſi per reum ſteterit, vel ſi is moram fecerit; mora autem tunc per reum ſit, non cum ſimpliciter non ſolvit, ſed cum ſtipulator fecerit per ſe, ut acciperet, vel in locum conſtitutum veniendo, vel alium procuratorem, videlicet ibi, ſuo nomine conſtituendo, qui ſolutionem reciperet & ipſe promiſſor, vel interpellatus ibi non ſolvit, *l. mora, 37. ff. de uſuris*, obſervat Donellus *ubi proxime, n. 4.* Quomodo tamen utilitas debitoris æſtimanda ſit, non ita conſtat apud Interpretes? nam Irnerius, & Placentinus, quos ſequitur Cujac. *ubi ſup.* docent rei utilitatem habendam eſſe ſi per eum non ſteterit, quominus ſolveretur, aut per actorem mora fieret, quominus loco deſtinato oblatam pecuniam acciperet: ita quod ſicut in actore, ut ejus utilitas æſtimetur, requiritur mora debitoris: ita ut rei habeatur utilitatis ratio, deſideratur actoris mora in accipienda pecunia. Sed hæc ſententia non placet, verius enim eſt, utilitatem rei ſemper æſtimandam eſſe in hac actione, ſive per actorem mora commiſſa ſit, ſive non: & quod magis eſt, etſi per debitorem ſolum ſtetit, quominus illic ubi promiſit, ſolveretur, ut docent *in d. l.2. verſ. alioquin*, Jaſon, & Caſtrenſis *n.80.* Donellus *n.6.* quæ ſententia probatur *ex §. plus, verſ. loco, Inſtit. de action.* ibi: *In qua ſcilicet ratio habetur utilitatis, quæ promiſſori competitura fuiſſet, ſi illo loco ſolveret, quo ſe ſoluturum ſpopondit.* Quæ utilitas plerumque in mercibus maxime invenitur, veluti vino, oleo, frumento, quæ per ſingulas regiones diverſa habent pretia. Deinde quia hæc utilitas ab initio ex ipſa ſtipulatione acquiſita eſt reo ipſi, *d. §. plus autem, verſ. Loco*, eaque ipſi invito auferri non debuit: nam id quod ſemel mihi acquiſitum eſt, non debet a me invito tolli, *l. ult. ff. de pactis*. Nec obſtabit ſi dicas. moram a debitore contractam ei invito utilitatem ex ſtipulatione quæſitam auferre, cum unicuique mora propria nocere debeat, *l. in condemnatione 134. §. unicuique, ff. de reg. jur.* Quia reſpondetur, nunquam hoc, vel ſimile jus contrahentibus conventione quæſitum mora cujuſque adimi quod hoc argumento manifeſtum fiet, nam creditor, quem conſtat, ſi pecuniam a debitore ſibi oblatam recuſaverit, moram facere, *l. qui decem, ff. de ſolut.* non ideo amittit proſequutionem juris, quod prius habuit, imo jure petit poſtea, & ſi reus interpellatus non ſolvat, incipit moram facere, quia poſterior mora illi nocebit, *l. illud, ff. de periculo & commodo*; quod multo magis reis tribuendum eſt, *l. favorabiliores, ff. de regim. jur.* Nec refragatur textus *in d. l. in condemnatione; §. unicuique*; nam mens Conſulti ibidem ea eſt, ut probet moram rei ad quodvis damnoſam eſſe: ſed actori, ut perpetuetur obligatio, ut eleganter interpretatur Donellus *in d. l. 2. n. 6.* cujus ſententia comprobatur *ex l. ſi ſervum 91. §. ſequitur, ff. de verb. obl.* Rurſus non obſtat creditoris, & ſtipulatoris æquiparatio, in quo diximus non eſſe habendam rationem utilitatis, ſi ipſe moram fecerit in recipiendo ſolutionem: ergo idem in reo admittendum erit, cum pars utriuſque mora ſit, & ſic in pari mora eumdem effectum conſiderare debemus, *l. illud, ff. ad leg. Aquil.* datur enim inter creditorem, & promiſſorem nobilis differentia in hac parte: nam creditor ſecundum ſtipulationem proſequitur utilitatem loci conſtituti, cum alio loco agit; nam ex verbis ſtipulationis alio loco agere non poteſt, *d. l. 1. ff. de eo quod certo* conceditur tamen ei ex manifeſta æquitate, ut alio loco agat, & ſimul conſequitur conſtituti loci utilitatem, quam ex ſtipulatione non habet; æquum autem non eſt aperte utilitatem iſtam rei ei tribui cum per eum ſtetit, quominus ſuo loco pecuniam acciperet, ubi debitor ad eam utilitatem non teneretur, ſi creditor moram non feciſſet: at promiſſor loci utilitatem non conſequitur ex bono & æquo, propter naturam actionis arbitrariæ, ſed eam jure habet ratione ſtipulationis, quam debet retinere, etſi moram committat. Proſequitur Donellus *in d. l. 2. n. 6.*

10 Reſolvitur quæſtio propoſita. Quibus ſi conſtitutis, ſequitur reſolutio quæſtionis ſuperioris, an videlicet in hac actione ſit habenda ratio utilitatis actoris, & rei? Et dicendum eſt, utriuſque utilitatem venire, & ſimul, ſi utriuſque ſimul interſit, ut tenent Gloſſa *in d. l.2.* Bartolus, Angelus, & Odofredus, Donellus *n. 7.* Actoris quidem, quia per debitorem mora facta ſit; debitoris autem, quia ejus mora non impedit, quominus utilitatem loci ſtipulatione quæſitam retineat. Nec contrarium probat textus *in d. l. unic. C. ubi conveniatur*, ubi convincitur Africanus, dum docet, disjunctione rei, vel actoris utilitatem æſtimari; utrobique enim eſt disjunctiva oratio, cujus hæc vis eſt, ut alterum deficiat dumtaxat, argumento textus *in l. ſi heredi, ff. de condit. inſtit. §. pen. Inſtit. eod. tit.* Nam id quod diximus, utriuſque utilitatem in hac actione contineri, hoc eſt, tam actoris, quam rei, ita accipi debet, ut habeatur utriuſque conſideratio, ſi modo ſeparatim non interſit utriuſque, & eodem jure ſimul interſit, ita ut hæc conditio in his propoſitionibus inſit. Quam mentem loquentium ſatis exprimit: cum enim dicitur a Conſulto *in d. l. 2.* utriuſque utilitatem venire: hoc perpetuum eſt, ſi ſit aliqua utilitas utriuſque, quæ æſtimetur. Eadem vis eſt alterius orationis disjunctivæ, de qua *in d. l. centum*, & *in d. l. unic.* cum enim in his juribus dicitur æſtimari quod alterutrius, ſeu quod rei, vel actoris interſit, ineſt hæc conditio, ſi hujus vel illius interſit. Itaque in ſumma, orationes ſuperiores figura verborum inter ſe contrariæ, re autem, & poteſtate idem ſignificant.

Supereſt pro pleniore hujus textus interpretatione cum juſtis, & moderatis expenſis, & congrua ſatisfactione damnorum, ſcire quid utilitatis, & intereſſis ratione veniat in hac ſpecie. Et ex eis conſtat, in æſtimatione ejus quod intereſt ineunda, non ſolum damni, verum & lucri intercepti rationem haberi: quod etiam docetur *in l. ſi commiſſam 13. ff. rem ratam haberi, ff. proinde 22. l. ſi ſervum 33. ad l. Aquil. l. venditor 8. l. de evict. l. ult. ff. de eo quod intereſt, l. atqui 19. §. non tamen, ff. de negot. geſtis, l. 3. ff. de condict. furtiva, l. ſi fundus 33. v. Nam etſi colonus, ff. locati, l. ſi mulier 21. §. verum, ff. rerum amot. l. quidquid 7. C. arbitr. tutel. in hac 28. ff. de damno infect. c. P. & G. de offic. deleg. c. unic. de plus petit.* Nam quamvis alia ſit ratio damni, alia lucri intercepti *l. Proculus 26. ff. de damno infecto*; unde in actione furti, in edicto damni infecti, in contributione legis Rhodiæ tantum damni accepti, non autem lucri ad intereſſe taxandum ratio habetur *d. l. Proculus 26. l. ſi is qui rem 66. §. ult. ff. de furtis, l. 2. §. navis, ff. ad leg. Rhodiam*; id procedit; quia in his actionibus non redditur judicium ad id quod intereſt indiſtincte, ſed ad recuperandum damnum; unde lucrum in illis æſtimare injuſtum erat: at in præſenti ſpecie agitur ad intereſſe, quod juſtum eſt, & ſic ratio lucri habetur. Docent Covarr. *l.3. variar. c. 4. n. 1.* Caldas *de emption. & vendit. c. 29. n. 40.* Donellus *l. 26. comment. c. 22. & 23.* Ferrerius *in tract. de eo quod intereſt*. Igitur in hac actione damni intrinſeci ratio habetur, ut ſi res debita ſuo loco, & die præfixa ſoluta non ſit, & inde deterior facta ſit, vel ejus pretium creverit: hoc enim damnum proculdubio æſtimatur, *l. vinum 22. ff. de rebus creditis, l. 3. §. ſi per venditorem, ff. de action. empti, l. ult. ff. de condict. triticar. l. qui hominem 37. ff. mandati, l. ult. ff. de periculo & comm.* Damni etiam extrinſeci ratio habetur, ut ſi triticum emptum fuit ad ſervorum alimoniam Capuæ exiſtentium, & ideo ſolutio ibi deſtinata ſit, & fame perierint ſervi, etiam hujus damni ratio habetur: ſecus vero ſi nulla commemoratione facta talis alimoniæ, triticum emptum ſit, ut docent P. Barboſa *in d. l. heres, §. ult. n. 27.* Illuſtr. Tapia *2. t. catenæ mor. l. 5. q. 17.* Lucri ſimiliter ratio habetur in hac æſtimatione ineunda, ſed cum conſiſtat in negativo, difficilis ejus probatio eſt, unde conjecturis æſtimatio facienda eſt. Menochius *de arbitr. caſu 116. n. 20.* Menardus *de probat. concluſ. 930.* Tuſcus *litter. L. concluſ. 302.* Gibalinus *de uſuris l. 1. c. 5. art. 8. per tot.* & frequentior ſumitur a ſolidis, & conſuetis, ut ſi creditor mercaturam in loco ſolutioni deſtinato exercebat, & merces abfuerint, aut in qualibet nundina ſolitus eſſet lucrari decem pro centum, decem veniunt in æſtimatione, ut docent late proſequentes alia negotia, in quibus lucri etiam ratio habetur, Gibalinus *ubi ſup.* Covarr. *d. l. 3. variar. c. 4. n. 1.* Menochius *caſu 119. cum ſeq.* P. Barboſa *in l. de diviſione 5. nu. 28. ff. ſolut. matrim.* Narbona *in l. 13. tit. de los cambios, gloſſ. 4. l. 5. recop.* Gamma *deciſ. 110. num. 3. 10. & 20.* ubi plura Flores de Mena, Valaſcus *conſult. 107. per totam*. Sed in contrarium faciunt textus *in l. ſi ſterilis 22. §. cum per venditorem, Digeſtis de action. empti, lib. ult. ff. de peric. & commodo*, ubi ſi res, vel pecunia debita non tradatur ſuo tempore, lucrum quod ex tali re conſequi potuit, in æſtimationem non venit, nec ejus ratio habetur. Nam omiſſis ſolutionibus traditis a Jaſone *in l.2. §. fin. ff. de eo quod certo*, Bartolo & Rebuffo *in l. unic. C. de ſent. quæ pro eo*, Covarr. *d. c.4. n.2.* Menchaca *de ſucceſ. creat. §. 2. n.26.* dicendum eſt eas leges eſſe accipiendas de ſpe negotiandi valde remota, & quæ non proxima ſperabatur: ſupra tradita vero procedunt in lucro ex negotiatione proxime ſperata æſtimando, quod attenditur: docent Barboſa ubi ſupra, *n.27.* Gibalinus *d. c.5. art.5. ex n.7. & 9.* unde verba ſupra relata Gregorii noſtri accipienda ſunt de lucro intercepto, & damno tam intrinſeco, quam extrinſeco; ſignanter autem Gregorius uſurararum rationem haberi inhibuit, cum illæ in jure noſtro admodum ſint prohibitæ, & exoſæ. Illud etiam omittendum non eſt, æſtimationem rei promiſſæ faciendam eſſe habita ratione ipſius loci, ubi præſtanda erat, *l. vinum 22. ff. de rebus creditis, l. ult. ff. de cond. tritic. l.5. §. ſi per venditorem, & §. fin.* quem illuſtrat Marcus Lyclama *l.1. membr. eclog. 10. §.1.* nam pretium rerum ex diverſitate locorum mutatur, *l. & ideo, ff. de eo quod certo loco*: quia vilius pretium eſt, ubi major copia rerum venalium datur, ubi vero eſt inopia, aut penuria rerum, majus pretium conſideratur. Semper ergo ineunda eſt æſtimatio rei promiſſæ, habita ratione loci ſolutioni deſtinati, non vero ubi agitur ut probatur *in d. l.3. §. ult.* Nec audiendi ſunt Faber, & Accurſius in eo textu, Donellus *in dicta lege vinum, n.32.* dum docent, quod ſi commiſſa ſit mora per debitorem, æſtimatio facienda eſt utro in loco res pluris ſit, videlicet vel in loco ſolutioni deſtinato, vel ubi agitur. Contrarium enim verum eſt, ſcilicet attendendum eſſe locum ſolutioni deſtinatum, ut docuerunt antiquiores apud Jaſonem *in d. l. vinum, n.8.* Morla *empor. tit.8. de rebus creditis, in prælud. ex n. 76.* Schifordeg. *ad Fabrum l.1. tr. 27. q. 5.* Nec favet contrariæ ſententiæ textus *in l. ult. ff. de cond. tritic.* in illis verbis: *Primum æſtimatio ſumatur ejus loci, quo dari debuit*; in quibus docetur, primum haberi rationem ſoli ſolutioni deſtinati: ergo ſecundo ratio habetur loci ubi agitur, ſi utilius fuerit actori. Quia reſpondetur, Conſultum ibi tantum affirmare, primum ſequendam eſſe æſtimationem loci ſolutioni deſtinati: ſi vero deſtinatus non ſit, ſequendam eſſe deinde æſtimationem, habito reſpectu ad locum, in quo agitur: dictio enim illa, *primum*, non ſemper eſt adverbium ordinis, ut dicat ordinem ad aliud, imo frequenter ſignificat, quod unice ſequendum eſt, vel quod eſt præcipuum; ſic Tytirus Virgilianus *eclog. 1.* qvamvis primos aulæ 11 Quomodo intereſſe æſtimetur.

favores Proceribus Romanis debuiſſet, qui ipſum gratioſum Auguſto reddiderunt, imo notum Cæſari fecerunt, cum antea ipſi eſset incognitus, primum ſe favorem debere Cæſari canit, quia hic fuit præcipuus, vel qui ſolus ſupereſse poterat.

Hic illum vidi juvenem, Melibee, quotannis
Bis ſenos cui noſtra dies altaria fumant:
Hic mihi reſponſum primus dedit ille petenti,
Paſcite ut ante boves pueri.

12 In quibus contractibus decur actio arbitraria. Quæ hucuſque dicta ſunt, procedunt in actionibus ſtricti juris, veluti ex mutuo, de qua in hoc textu, vel ex ſtipulato, nam ſi is, qui promiſit certo loco ſolvere, hujuſmodi actionibus teneatur ad hoc, ut alio loco incongruo poſſit conveniri, neceſsaria eſt actio arbitraria de eo quod certo loco, *l. ſi heres 6. ff. de eo quod certo loco.* Ceterum in actionibus bonæ fidei relatis *in §. actionum, Inſtit. de actionibus*, non eſt neceſſaria arbitraria actio, cum ex natura earum, propter clauſulam bonæ fidei judicii, de qua Duarenus *in l. juris gentium 7. verſ. a Pratore dandam, ff. de pactis*, Covarr. *in regula poſſeſſor, 2. p. §. 6. n. 4.* contineant ut ex bono, & æquo arbitretur judex quid alteri alterum præſtare conveniat, *l. ex empto, ff. de actionibus empti*, & ideo etiam alio loco potuerunt intentari adverſus promiſſorem, quia eorum qualitas non mutatur, etſi alibi, quam in eo loco, in quo ſolutio deſtinata eſt, agatur, ut late docent Donellus *in d. l. centum, Capue*; unde in commodato neceſsaria non eſt arbitraria actio, ſed propria ſufficit, & directa, *l. ſi certo 5. ff. commodati*, in depoſito, *l. ei apud quem 5. §. 1. ff. depoſiti*; ſecus vero in mutuo, quod eſt ſtricti juris, *l. aut 6. ff. de eo quod certo*: & in actione de conſtituta pecunia, *l. ſi duo 16. §. 1. ff. de conſtituta pecun.* Quare in præſenti caſu cum propter mutuum ageretur, neceſſaria fiſit arbitraria actio: idem dicendum eſt, ſi heres damnatus ſit a teſtatore certo loco præſtare legatum, *l. ſi hares 5. ff. de eo quod certo, l. ſi fideicommiſſum 50. ff. de judiciis, l. cum res 47. ff. de leg. 1.* actio enim ex teſtamento, licet aliqua habeat bonæ fidei, *l. 4. C. in quibus cauſis in integrum reſtit. l. hujuſmodi 84. §. qui ſervum 4. ff. de leg. 1.* tamen eſt ſtricti juris, *d. §. actionum*: in his enim, & aliis actionibus ſtricti juris, præter adjectionem loci datur qualitas arbitrariarum, ut docet Jaſon *in l. 2. ff. de eo quod certo*: quare hæc actio dicitur arbitraria per emphaſim, ſeu antonomaſiam, ad differentiam actionum, quæ vulgo arbitrariæ dicuntur, de quibus Pichardus *in d. §. actionum.*

13 Traditur ratio decidendi. Quibus ita animadverſis facile cognoſcitur ratio præſentis deciſionis; cum enim Epiſcopus Dulmenſis mutuam pecuniam Romæ a mercatoribus creditam ſe ſoluturum promiſiſſet, ideo poterat Romæ ab ipſis conveniri: quia præterquam quod ibi contraxit, etiam Romæ ſolutionem deſtinavit, & deſtinare ſolutionem in certo loco, perinde eſt ac ibi contrahere, *l. contraxiſſe, ff. de obl. & act. l. 3. ff. de rebus auctorit. judic. l. vinum 22. in fin. ff. de rebus creditis.* Poterat etiam Epiſcopus in loco domicilii conveniri, quia qui in alio loco contraxit, etiam in loco habitationis ratione domicilii ſortitur forum, *c. unic. §. contrahentes, de foro compet. in 6. l. heres 19. §. proinde, ff. de judiciis, l. 2. C. de juriſd.* Sed quia mercatores petebant pecuniam creditam cum damnis, & lucris interceptis, ideſt ſi in loco domicilii agere volebant cum commemoratione loci, debebant arbitrariam actionem proponere; licet enim jam ſublatæ ſint actionum formulæ, *l. 1. & 2. C. de formulis ſublatis*; tamen earum natura retinetur, Vveſembech. *ad tit. de eo quod certo, n. fin.* & jure noſtro Pontificio etiam admiſſa eſt hæc differentia actionum bonæ fidei, & ſtricti juris, ut probat Pichardus *d. §. actionum, q. 3.* unde cognoſcitur: quam recte juxta juris Cæſarei principia Gregor. IX. in præſenti decrevit, Epiſcopum utroque in loco, deſtinatæ ſolutionis, & domicilii conveniri poſſe, & ad lucra, damnaque intercepta exſolvenda teneri.

14 Reſpondetur difficultatibus. Nec etiam obſtant difficultates ſupra perpenſæ. Non prima; nam licet qui certo loco dare promiſit, in eo ſolutionem deſtinaſſet: tamen hæc adjectio loci non impedit, quominus in loco domicilii directa actione conveniri poſſit, & cum commemoratione loci etiam utili arbitraria, ut actor conſequatur damna, & lucra intercepta; quia qui in certo loco contraxit, etiam ſortitur forum in loco domicilii, *d. c. un. §. contrahentes*, unde utrobique compromiſſor conveniri poteſt: & quia hæc actio arbitraria ex æquitate a Prætore introducta eſt, non obſtantibus juris principiis ſupra perpenſis, actori competit etiam in loco domicilii rei, facta comemoratione loci ad ſolutionem deſtinati, ad rem cum damnis, & lucris interceptis perſequendam. Nec ſecunda difficultas adverſatur: non enim negat Gregorius IX. per actionem arbitrariam actorem conſequi rem cum damnis, & lucris interceptis, ſed in illis verbis, *cum expenſis, & damnis*, complectitur etiam lucrum interceptum, juxta ea quæ ſupra late adduxi.

15 Exponitur textus in l. Titium 47. §. 2. ff. de admin. Hucuſque traditis, & præſenti deciſioni primo opponitur textus *in leg. Titium 47. §. tutores 2. de adminiſt. tut.* ubi proponitur pupillo datos fuiſſe tutores alios ad rerum Italicarum, alios vero ad rerum provincialium adminiſtrationem: & cum illi, qui rerum Italicarum tutores erant, Romæ reperiiſſent debitorum provincialium chirographa, quibus cavebant, ſe pecunias ſoluturos Romæ, vel ubicumque conventi eſſent, quæſitum fuit, utrum tutores rerum Italicarum poſſent eas pecunias exigere, debitoreſque convenire? Et reſpondet Scævola, nullo modo prædictos tutores eos convenire poſſe. Ex quo Scævolæ reſponſo aperte conſtat, eum qui promiſit certo loco ſolvere, non poſſe in eo conveniri, ſed jus habere revocandi domum, ſiquidem ait Scævola, debitores a tutoribus Italicis conveniri non poſſe, quia ibi non reperiebantur. Pro cujus textus expoſitione dicendum eſt, debitores in ejus textus ſpecie non poſſe a tutoribus rerum Italicarum conveniri, quia nec reperiebantur in Italia, nec bona ibi poſſidebant: unde cum ille, qui certo loco contraxit, aut in eo ſolutionem deſtinavit, non poſſit ibi conveniri, niſi in eo reperiatur, ut ſupra dixi, recte affirmat Scævola, debitores in Provinciis degentes non poſſe a tutoribus rerum Italicarum conveniri, etiamſi cautum eſſet in chirographis, ut Romæ, aut ubicumque conventi ſolvere tenerentur.

Secundo adverſatur textus *in l. continuus 137. §. cum ita, ff. de verb. oblig.* in illis verbis: *Vel quia ubique poteſt ſolvere.* Ex quibus conſtat, eum qui certo loco dare promiſit, ubicumque ſolvere poſſe; igitur quia non præciſe ſolvere cogitur in loco ſolutioni deſtinato, aut domicilii. Cui difficultati, omiſsa ſolutione tradita ab Antonio Fabro *l. 1. conject. c. 1.* reſpondendum eſt cum Accurſio, & Donello *in l. is qui 9. ff. de eo quod certo loco*: Cujacio & Durando *in l. qui Romæ 122. ff. de verb. obl.* aſſerendo, Ulpianum in eo textu eſse audiendum eo caſu, quo ſtipulatoris nihil intererat quocumque loco debitum recipere, vel in ea ſpecie, in qua gratia promiſsoris locus adjectus fuit: plerumque enim locus ſolutioni deſtinatur favore rei; *l. unica, C. ubi conven.* & tunc ubicumque promiſsor pecuniam debitam ſolvere poteſt. Accurſus & Faber *in d. l. is qui.* 16 Intelligitur l. continuus 137. §. cum ita, ff. de verb. obl.

Tertio opponi poteſt Africanus relatus *in l. 3. de legationibus*, ubi proponitur, Legatum pecuniam mutuo acceptam certo loco ſolvere promiſiſse; quæſtionis fuit, utrum ipſe legationis tempore conveniri poſſit eo loco, ubi contraxit, aut ſolutionem deſtinavit? Et reſpondet Africanus, in ea ſtipulatione non attendi locum ubi quis crediderit, aut dare ſtipulatus ſit: ſed an id actum ſit, ut legationis tempore ſolveretur. Ex qua Africani ſententia conſtat, Legatum conveniri non poſse eo in loco, ubi ſolvere pecuniam creditam promiſit; igitur Epiſcopus Dunelmenſis, qui ut Legatus pro juribus ſuæ Eccleſiæ Romæ tempore pecuniæ mutuo acceptæ erat, non tenebatur Romæ, id eſt in loco ſolutioni deſtinato, pecuniam ſolvere. Pro hujus difficultatis ſolutione ſciendum eſt, ab hac generali regula, videlicet eum, qui certo loco promiſit ſolvere, ibi conveniri poſse, excipi Legatos, qui ſi ante tempus legationis certo loco dare promiſerint, in eoque ut Legati reperiantur, ibi conveniri non poſsunt, *l. 2. §. omnes, ff. de jud. l. eum qui, §. 1. ff. de conſtit. pecun. c. fin.* ubi latius probabimus, *hoc tit.* Unde cum *in d. l. 3.* Legatus ante legationem promiſiſset ſe certo loco ſoluturum, etſi poſtea ibi reperiatur, non attenditur loci adjectio, ſed utrum actum ſit, ut legationis tempore conveniretur: at vero in hoc textu Epiſcopus Dunelmenſis non ante legationem, ſed in ea exiſtens, ſe Romæ ſoluturum promiſit: quare recte Romæ, & in loco domicilii conveniri potuit. 17 Explicatur l. 3. ff. de legationibus.

Quarto expendi poteſt textus *in leg. 3. §. ſi per venditorem, ff. de actionibus empti*, ubi proponitur, vinum venditum fuiſse certo in loco, cautumque fuiſse, ut alio in loco traderetur: venditor in ejus traditione moram commiſit: dubium fuit, quomodo æſtimatio vini ineunda eſset, & juxta cujus loci valorem? Et reſpondit Pomponius, pretii rationem habendam eſse juxta locum, ubi vinum vænit, vel ubi agitur. Ex quo Pomponii reſponſo liquet, locum ſolutioni, aut traditioni rei deſtinatum non attendi; ſiquidem in æſtimatione ineunda rei debitæ non inſpicitur valor vini in loco traditioni deſtinato; ſed ubi agitur, aut contractum eſt; igitur quia qui certo loco ſolvere promiſit, in eo rem debitam præſtare non cogitur. Pro hujus textus expoſitione dicendum eſt, in eo §. duplicem caſum a Conſulto proponi. Prior cum in venditione vini nulla loci adjectio facta fuit, quo caſu æſtimatio vini ineunda eſt juxta regionem ubi vinum vænit, aut agitur; poſterior eſt cum locus præſtationi adjectus eſt, quo caſu fatetur conſultus, non expectari pretium ejus loci, in quo agitur, ſed ejus ubi tradi debuit: unde priora verba Conſulti ſupra expenſa accipienda ſunt de primo caſu, quo locus adjectus non eſt: unde æſtimatio ineunda erat juxta locum in quo vinum vænit, aut ubi agebatur: docet Anton. Faber in rationali ad ipſum textum. In hac etiam juris parte, videlicet actionis arbitrariæ, quæ competit ex edicto Prætoris de eo quod certo loco, expendi ſolent textus *in l. pecuniam 15. ff. de compenſ. l. qui Romæ 132. ff. de verb. obl. leg. centum 8. ff. de eo quod certo loco, l. ſi duo 16. §. 1. de conſtitut. pecun. l. uſuras 8. C. de ſolut. l. hujuſmodi 84. §. qui ſervum, de l. 1. l. curatoris 47. in princ. eod. tit. l. vinum, de rebus creditis, l. Titium 47. §. tutoris, ff. de adminiſtr. tut. l. 3. quando ex facto tutoris, l. 9. §. ult. de duobus reis*, ubi Cujacius, *l. 5. §. 1. leg. 12. in princ.* & *§. 1. ff. depoſiti*; quarum interpretionem late proſequuntur Cujacius, Donellus, & Faber *in dict. leg. centum*, Giſanius & Donellus *in d. leg. qui Romæ*, Faber *l. 1. conject. c. 1.* Rodriguez *l. 1. de annuis reddit. q. 18. n. 15.* Hotthomanus *de uſuris c. 4.* Meril. *l. 1. variar. ex Cujacio, cap. 24.* Præceptor D. Joſeph. de Retes *de fidejuſ. cap. 1. §. unic. nu. 27.* & *2. part. de verb. obl. tract. 4. per totum*, Cujacius *l. 20. qq. Papin.* Adducitur l. 3. §. 3. ff. de action. empti.

CAPUT

C A P U T XVIII.

Idem *Abbati* a *Trecenſi*.

SIgnificaſti nobis, quod P. Clericus ad petitionem C. mercatoris, ſe tuæ juriſdictioni ſubjecit, ſi in termine nunc elapſo de pecunia mutuata non *b* ſatisfeciſſet eidem. *Et infra*: Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod licet privatorum conſenſus eum, qui juriſdictioni *c* præeſſe dignoſcitur, ſuum poſſit judicem conſtituere, clerici tamen in judicem non ſuum (niſi forte ſit perſona Eccleſiaſtica, & Epiſcopi diœceſani voluntas accedat) conſentire non poſsunt.

N O T Æ.

1 a *TRecenſi.*) Nicolao videlicet, qui præfuit temporibus Gregorii IX. De Eccleſia Trecenſi aliqua notavi *in c. cum omnes 6. de conſtit.*

b *Satisfeciſſet.*) Licet natura mutui exigat, ut non ipſa res, ſed alia ejuſdem generis reddatur, unde tantum in rebus fungibilibus conſiſtit, *l. 2. §. mutuis, ff. de rebus creditis*, ubi Donellus, & Cujacius, Vultejus *diſp. c. 5.* Salmaſius *in notis ad jus Atticum, c. 6.* Mancinus *l. 1. de triplici juris collat. c. 153.* Gothofredus *in tr. de mutatione moneta.* Deſiderius Heraldus *l. unic. emend. c. 15.* Hermoſilla *in l. 1. tit. 1. p. 5.* Gibal. *de uſur. t. 1. c. 1. & 2.* Bocerus *t. 1. clauſ. 2. diſp. 7.* tamen cum in præſenti caſu P. Clericus tantum promiſiſſet ſatisfacere ob pecuniam mutuo acceptam, non tenebatur eamdem quantitatem ſolvere, ſed legem contractus adimplebat pignus tradendo, aut fidejuſſorem dando: aliud enim eſt ſolvere, aliud ſatisfacere, *l. quod vendidi 19. ff. de contrah. empt. l. ſi pupillus 45. ff. de adminiſt. tut. l. ſi ita 31. §. 1. ff. de manum. teſt. l. Paulus 38. §. quæſitum, ff. de liber. cauſa*; qui enim promittit ſolvere, tantum per numerationem realem, aut acceptilationem liberatur: qui vero ſatisfacere pollicetur, pignus conſtituendo, aut expromiſſorem dando, legem contractus adimplet, ut docent Vinius, Nancinus, & alii Inſtitutarii *in §. vendita, Inſt. de rerum diviſ.* Briſſonius *de v. ſ. verbo ſatisfacere.* Unde cum P. clericus pecuniam mutuam accipiens, non ſolvere, ſed ſatisfacere promiſiſſet, pignora, vel expromiſſorem dando liberabatur.

2 c *Juriſdictioni præeſſe.*) Cum enim privatorum conſenſus neminem juriſdictionem non habentem judicem conſtituere poſſit, *l. privatorum, C. de juriſd. l. 1. ff. de jud.* ideo præcipuum requiſitum prorogationis juriſdictionis eſt, ut prorogetur juriſdictio exiſtens, non vero putativa, aut falſa, ut late probat Carleval *de judic. l. 1. tit. 1. diſp. 2. q. 8. ſect. 4.* ubi agit de juriſdictione contentioſa, vel voluntaria in habitu exiſtente.

COMMENTARIUM.

3 Concluſio probatur. EX hoc textu ſequens communiter deducitur aſſertio. *Laici poſſunt juriſdictionem judicis alieni prorogare, clerici vero nequaquam, niſi de Epiſcopi priori licentia.* Primam partem aſſertionis probant textus *in l. 1. & 2. ff. de judic. l. ſi per errorem 15. l. ſi convenerit 18. ff. de juriſd. l. ſi quis ex conſenſu 7.* quam deductam eſse *ex l. 10. C. Theod. de juriſd.* jam notavit D. Gothofr. & ſuppreſſo ejus nomine I. Gothofr. filius *in d. l. 10. l. Epiſcopali 9. C. de Epiſc. aud. l. ille a quo 15. §. tempeſtivum, ff. ad Trebell. l. 1. C. de juriſd.* Secundam partem firmant textus *in c. 1. verſ. apud alios c. ſi diligenti, hoc tit.* Illuſtrant ultra congeſtos in præſenti a Barboſa, Vega, Balboa, & Fermoſino, idem Barboſa *de poteſt. Epiſc. 3. p. allegat. 108.* Anſald. *de juriſd. p. 1. tit. 11. c. 1. a n. 30.* Donellus *l. 17. comm. c. 10.* ubi Oſualdus *litt. P.* Cujacius *in præſ.* Didacus Perez *in l. 4. tit. 4. l. 4. ord.* Morla *in empor. tit. de juriſd. c. 21.* P. Barboſa *in l. 1. art. 1. n. 20. ff. de judiciis*, Vultejus *in l. 1. C. de juriſd.* Vinius *l. 1. ſelect. c. 4.* & *de juriſd. c. 10.* Quintanadvennas *in tr. de prorog. juriſd.* Carleval. *de jud. t. 1. diſp. 2. q. 8. ſect. 2.* Acacius Rip. *de juriſd. c. 1. n. 398.* Delbene *de immunit. Eccl. t. 2. c. 10. dubit. 6.* Cæſar *de Eccl. hierarch. diſp. 5. §. 2. nu. 15.* Manrique *de different. utriuſque fori, q. 2.* & alii laudati *in c. P. & G. de offic. deleg.* Frances *de compet. q. 49.* Cortiada *in praxi contentionum, deciſ. 11. n. 45.*

4 Impugnatur tradita aſſertio. Sed hæc aſſertio ratione juris prorſus aliena eſſe videtur, nam prorogatio juriſdictionis, eſt actus partium, quo intendunt in judicem, ſed non ſuum, conſentire, & per quem nihil adimitur judici ordinario, alias competenti, *l. 1. §. 1. ff. de jud.* ubi Barboſa & Amorinus: igitur ut clerici alterius judicis juriſdictionem prorogent, & in eum conſentiant, non deſideratur Epiſcopi conſenſus, cui ex prorogatione nullum præjudicium irrogatur. Augetur hæc difficultas ex eo, nam taciti, & expreſſi idem judicium eſt, *l. item quia, ff. de pactis, l. ult. ff. de l. 2.* plura adducit Barboſa *axiom. 218. n. 1.* ſed clerici ſine Epiſcopi proprii licentia poſſunt tacite prorogare alterius judicis juriſdictionem, ut promittendo ſolvere certo loco, ubi coram judice ipſius loci poſſunt conveniri, ut ſuperiori commentario probavi; vel contrahendo in aliena diœceſi, quo caſu ratione contractus diœceſani Epiſcopi ſortiuntur forum, *c. fin. hoc tit. c. Romana, §. contrahentes, eod. tit. in 6.* igitur & expreſſe alieni judicis poſſunt prorogare juriſdictionem, præcipue cum ille poſſit juriſdictionem prorogare tacite, qui & expreſſe, ut probant Carleval *ubi ſup. nu. 981.* Secundo difficilis redditur hæc aſſertio ex eo principio: nam omnes Magiſtratus extra fines territorii proprii pro privatis habentur, *leg. 3. ff. de offic. Præſid. l. ult. ff. de juriſd. l. ult. ff. de offic. Præfect. urb.* at privato tribui juriſdictio conſenſu litigatorum non valet, *l. 1. ff. de jud. lib. privatorum 3. C. de juriſd.* igitur nulla poteſt dari prorogatio judicis alieni.

5 De requiſitis ad prorogationem. Adhuc tamen defendenda eſt præſens Gregorii deciſio, pro cujus expoſitione ſciendum eſt, prorogationis materiam, cujus aggredimur tractationem, jure civili non incognitam fuiſſe, ſi rem inſpiciamus; non tractatam, diſcuſſamve, ſi terminos: nuſquam enim in hac relecta, auditave eſt prorogandi vox, ut obſervarunt Hermannus Vultejus *in l. 1. C. de juriſd. n. 65.* Matthias Stephanus Pomeranus *l. 1. de juriſd. c. 21. nu. 2.* A pragmaticis vero adeo onuſta eſt ſuis voluptationibus, ut vix quidquam certi de ea poſſit definiri, ſi placita ipſorum revereamur ut Aulæ ſolent, quæ adorant eorum dicteria, tamquam Delphis a Cartina dictata. Prorogatio ergo juriſdictionis nihil aliud eſt, quam ejus extenſio extra fines proprios, conſenſu privatorum facta. Itaque ſi litigatores in judicem non ſuum conſentiant, prorogare juriſdictionem dicuntur, *l. ſi convenerit 18. ff. de juriſd.* plura congerunt Corraſius *l. 4. miſcel. c. 5.* Fachin. *l. 1. controv. c. 71.* Raguel. *in l. pen. C. de pactis*, Bronchorſt. *cen. 1. enantioph. aſſer. 24.* Caldeira *l. 1. de error. c. 5.* Hunnius *ad Treutl. vol. 1. diſp. 3. q. 68.* P. Barboſa *in l. 1. n. 80. de jud.* Vinius *l. 1. ſelect. c. 4.* Duo tamen ut eſſentialia deſiderantur in prorogatione. Primum ex parte illius, cui proroganda eſt juriſdictio, requiritur, ut ſit Magiſtratus, qui aliquam ex lege habeat, quantumvis limitatam, juriſdictionem. Ejus vero qui nullam habet juriſdictionem, non datur prorogatio: *l. eſt receptum 14. ff. de juriſd. l. 1. & 2. l. de qua re 74. §. 1. ff. de jud. l. 32. verſ. La novena, tit. 2. p. 3. l. 1. tit. 15. p. 7.* Unde in arbitris nulla datur prorogatio, quia illi nullam habent juriſdictionem, *l. quid ergo, §. ex compromiſſo, ff. de his qui not. infam.* imo etſi juriſdictionem judex obtineat, cauſa autem, ad quam prorogatur, non ſit ejuſdem naturæ ac eſt juriſdictio, prorogatio nulla eſt, ut ſi de crimine quæſtio ſit, & cauſa ad eum deferatur, quia animadverſionem non habet: vel ſi judex, qui de criminibus cognoſcit, adeatur ſuper cauſa civili, vel econtra, *l. ſolemus 61. §. latrunculator, ff. de jud.* notarunt P. Coſtal, *ibi* Vultejus *ubi ſup. nu. 98.* Scio genuinum illius textus intellectum alium eſſe, pro quo conſuli poſsunt Jacob. Gothofred. filius *in opuſc. ad l. ſi Barſatorem, C. de fidejuſſor. pag. mihi 20.* Larrea *deciſ. 98. n. 5.* ſed tam ponderario textus, quam doctrina mihi valde arridet: nec contrarium probatur *in l. 1. C. de juriſd.* Agitur in ea de Procuratore Cæſaris, de quo extat titulus in Pandectis de *offic. Procur. Cæſar, vel Rational.* Magiſtratus erat, qui res Cæſaris procurabat, & inter ipſum & privatos de rebus a ſe procuratis jus reddebat, *l. procurator 7. C. de edendo. l. cum ſervus 39. §. ult. de leg. 1.* de eo agunt Georg. Eberlinus *ad l. 2. de orig. jur. c. 30. n. 7.* Lipſius *ad Tacitum l. 2. annal. n. 137.* & multis relatis remiſſive Oſualdus *d. l. 17. c. 10. litt. A.* Hujus ergo juriſdictionem limitatam reſpectu rerum, & perſonarum prorogari poſse, ibi docetur, & probat Vultejus ad eam legem, *ex n. 58.* Marianus Socinus *in præſ. n. 29.* ex multis Carleval. *d. q. 8. ex n. 1165. uſque ad 1174.* nam licet ea juriſdictio reſtricta eſſet ad certas perſonas, non tamen prorogationis erat incapax, unde prorogari poterat: ut poſt Sichardum *ibi, n. 8.* docet Vinius *de juriſd. c. 11.* In praxi recte obſervarunt Vega *in præſ. n. 24.* & Quintanadvennas *de juriſd. n. 29.* juriſdictionem judicam, vulgo *vel Conſulado*, prorogari non poſſe ad alias cauſas, quam mercaturæ; nec ſuper cauſa nobilitatis prorogationem dari, cum judices proprios, & legitimos habeant.

Secundo ex parte illius qui prorogaturus eſt juriſdictionem, deſideratur deliberata voluntas, quam excludit error, *l. ſi per errorem 15. ff. de juriſ. l. 2. ff. de jud.* unde recte Ulpianus *in d. leg. ſi per errorem*, ait: *Si per errorem alius pro alio Prætor fuerit aditus, nihil valebit quod actum eſt; nec enim ferendus eſt, qui dicit conſenſiſſe eos in Præſidem, cum Julianus ſcribat, Non conſentiunt, qui errant.* Cui Ulpiani reſponſo varias aſſignarunt interpretationes Donellus *l. 14. comment. c. 10.* & *l. 22. cap. 13.* ubi Oſualdus, Cujacius *l. 1. obſerv. c. 32.* Hothomanus *lib. 4. obſerv. c. 9.* Meril. *variar. ex Cujacio, c. 24.* Bertrandus *de juriſperit. in vita Ulpiani, pag. 91.* Quintanadvennas *ubi ſupra, n. 10.* Inter quas illam veriorem exiſtimo, quæ deducitur ex ejus legis epigraphe; ſumpta enim eſt ex Ulpiano *l. 2. de omnibus tribunalibus*, quo libro agit Conſultus de oratione D. Severi, & Senatuſconſulto, quo vetitum fuit, ne minorum prædia alienarentur, ut conſtat *ex l. ſed ſi forte 6. leg. qui neque 8. ff. de rebus eorum, l. 1. & 2. ff. de v. ſ.* quæ ex eodem libro deſumptæ ſunt: ſed conſtitutione Severi expreſſe cavebatur, ut ſi æs alienum minoris ex aliis rebus ſolvi non poſſit, adiretur Romæ Prætor urbanus, ut decreto ſuo alienationem permitteret; in Provinciis vero Præſes, Prætoris partes ſuſtinet, *l. 1. §. & ſunt verba, ff. de rebus eorum, l. ſi prædia, ff. eod. tit.* Inde Ulpianus *in l. magis 5. §. illud 12. ff. eod. tit.* ait, quod ſi Prætor aditus promiſerit diſtrahi poſseſſionem in Provinciis exiſtentem; alienationem ſuſtineri, ſi modo tutela Romæ agebatur, & hi tutores eam quoque adminiſtrationem ſubjerant. Duo ergo deſiderat Ulpianus, videlicet ut tutela in urbe geratur; alias ſi in Provinciis adminiſtraretur, prædii provincialis alienatio ſine decreto Præſidis nulla eſſet, *l. ob æs alienum, lib. ſi prædium, C. de prædiis minor.* Deinde ut tutores Prætorem adierint, & tunc ſequuntur verba dictæ legis *ſi per errorem*: 6 Expenditur l. ſi per errorem 15. ff. de juriſd.

rem: nam ſi per errorem adierint Prætorem pro Præſide; non videntur conſenſiſſe in Prætorem, & decretum interpoſitum nullum erit. Sed tunc difficilia ſunt illa verba: *Nec ferendus eſt qui dicat eos in Præſidem conſenſiſſe, &c.* Si enim aditus per errorem non Præſes, ſed Prætor fuit, ut ait Ulpianus *in princ.* ibi: *Si per errorem alius pro alio Prætor fuerit aditus*, quomodo poſtea inquit eos in Præſidem ſenſiſſe? Cujacius *ubi ſup.* difficultate ſuperatus textum emendat, & legit, *in præſentem conſenſiſſe*. Jo. Bertrandus *ubi proxime, d. fol.91.* omiſſo Cujacio exiſtimat, rejiciendam, & expungendam eſſe dictionem *alio*, ut legatur, *ſi per errorem alius pro Prætore fuerit aditus*. Quintanadvennas *ubi ſup. n.11.* docuit, in eo textu exaratam fuiſſe eam dictionem illis notis *P. R.* quibus Prætor ſignificabatur; & librarios falſo inde extuliſſe Præſidem. Sed mihi videtur, prædictos perdoctos ſane juris interpretes, membro ſano medelam adhibuiſſe. Retenta ergo vulgari lectione, textum ita exponendum exiſtimo. In prima parte reſponſi, quæ extat *in d. l. magis, §. illud*, egerat Ulpianus de tutoribus, qui adierunt alium judicem pro alio, ut interponeret decretum in alienatione rei pupillaris ſcienter; & reſpondet, alienationem valere ſub prædictis duabus conditionibus. Tunc proſequitur, ſi per errorem alius pro alio, ut pro Præſide Prætor fuerit aditus, non valebit quod actum eſt; quia non poteſt dici, eos conſenſiſſe in Præſidem, qui debeat adiri, cum Prætorem per errorem adierunt. Non ergo illa generalia verba, *alius pro alio*, referenda ſunt tantum ad Prætorem, ut *in l.2. ff. de jud.* ſed ad judicem, qui decretum in tali alienatione interponere valebat, videlicet Præſes pro Prætore, vel econtra, & tunc recte docetur, non valere quod actum eſt, quia non poteſt dici conſentire in Præſidem, qui adeundus erat in alienatione prædii minoris provincialis, cum tutores adierunt Prætorem. Et hæc, ni fallor, eſt vera mens Ulpiani. Sed adhuc inſtabis, & valide, oratione Severi cautum fuiſse, ne alienarentur prædia minorum ſine ſolemnitate, & decreto Prætoris, quæ erant mancipi: ad prædia autem in provinciis exiſtentia, quæ erant, nec mancipi, oratio Severi non ſpectabat, ut agnoſcit Revardus *ad l. Scrib. & pro Tribun.* igitur Præſes numquam adiri poterat ad hujuſmodi alienationem. Cui difficultati duplici via ſatisfieri poteſt; vel ſupponendo, illa prædia, etſi provincialia, eſſe eorum quibus jus Latii conceſſum erat, unde etiam mancipi habebantur: vel accipiendo Præſidem in eo textu non ſtricte, & ſpecifice pro Præſide provinciæ, ſed pro Proconſule, qui æqualem auctoritatem ac Romæ Prætor habebat, & ſic tutorem adiſſe pro Prætore Procunſulem. Illud etiam obſervandum eſt circa conſenſum ad prorogationem juriſdictionem deſideratum, in eo debere perſiſti uſque ad litis conteſtationem, *l. ſi convenerit 18. ff. de juriſd.* quam expoſui *in c. 1. de judiciis*.

7 De caſibus prorogationis. Hæc prorogatio juriſdictionis, aut fit de perſona ad perſonam, de re ad rem, ſive de tempore ad tempus: aut de loco ad locum: ex quibus quatuor prorogationis modis duo priores certo jure nituntur, *l. eſt receptum 14. & ſeq. l. ſi convenerit 18. ff. de juriſd. l. 1. & 2. ff. de judic. l. 1. & 3. C. de juriſd. l. inter 28. ff. ad munic.* Circa duos vero poſteriores modos, videlicet de loco ad locum, & de tempore ad tempus, non abſque ratione dubitant Interpretes. Et prorogationem admitti, ita ut ejus virtute poſſit judex in alieno territorio judicare, docuerunt communiter DD. *in leg. ult.* ubi Zaſius, *ff. de juſt. & jure*. Sed hanc ſententiam alienam eſſe a ratione juris docuerunt *in leg. 2. ff. de jud.* Bartolus *in princ.* Baldus *n. 7.* Salicetus *in l. 1 C. de juriſd. n. 5.* Oſualdus *ad Donel. l. 17. c. 9. litt. F.* Arnold. Vinius *li. 1. ſelect. c.* Quæ doctrina probatur ex eo, quia certum eſt, Magiſtratus extra ſuam Provinciam privatorum jure cenſeri, *l. 3. d offic. Præſid. l. ult. ff. de juriſd.* ſed privato tribui juriſdictio conſenſu litigatorum non poteſt, *l. 1. ff. de jud. l. 3. C. de juriſd.* Igitur conſenſu litigantium non poteſt de loco ad locum prorogari juriſdictio. Proſequitur alias rationes Vinius *ubi ſup.* Circa prorogationem vero de tempore ad tempus, æquale etiam Interpretum diſſidium invenio; illi enim qui docuerunt, prorogationem juriſdictionis admitti de loco ad locum, etiam admittunt eam de tempore ad tempus, moti auctoritate textus *in l. 2. §. 2. ff. de judic. l. de quare 74. §. 1. ff. de re jud.* Sed contrariam ſententiam, imo hanc prorogationem a Conſultis incognitam fuiſſe, docent Oſualdus *l. 17. Donelli, c. 10. litt. P* Vinius *ubi ſup. c. 4.* Nec contrariæ ſententiæ favet textus *in l. 2. §. 2. ff. de jud.* nam in eo nullo modo agitur de juriſdictione proroganda, ſed tantum loquitur Ulpianus de prorogando tempore, intra quod judex datus, qui nudam tantum notionem, non juriſdictionem habet, *l. 5. ff. de re judic.* juſſus eſt litem aliquam ſibi commiſſam dirimere, hoc enim tempus cum ſolo partium favore intelligatur adjectum, etiam earumdem expreſſo conſenſu prorogari poſſe rationis eſt. Nec etiam facit pro contraria ſententia textus *in d. l. de quare*; nam in ea tantum aſſeritur, judicem, cui uſque ad certam ſummam judicare juseſt, etiam de re majori judicare poſſe, ſi inter litigatores conveniat. Quæ Conſulti ſententia potius ad prorogationem de re ad rem, quam ad caſum prorogationis de tempore ad tempus, ſpectat, ut conſiderat Vinius *d. c. 5.*

8 Verumtamen præmittendum eſt, nonnunquam ſpecialem juriſdictionem attribui favore ipſius Magiſtratus, nonnunquam ſubditorum, nonnunquam tam Magiſtratus, quam ſubditorum gratia. Favore Magiſtratus attribuitur juriſdictio, quando ejus auctoritas primo, & principaliter inſpicitur, & contemplatur. Exemplum extat *in novella 15. de defenſoribus civit. c. 3. in fine*, ubi Juſtinianus defenſoribus civitatum indulſit juriſdictionem voluntariam, aut ſi mavis, legis actionem, in teſtamentorum apertura, inſinuatione donationum, & ſimilibus: & infra tercentos ſolidos, omnem abſolutamque juriſdictionem, & a Præſidibus provinciarum independentem, non valentibus ſubditis ſimiles cauſas coram Præſidibus diſceptare, ut inquit textus. Ex quibus verbis aperte deducitur, in contemplatione eſſe auctoritatem Magiſtratus potius, quam commodum ſubditorum. Ex quo infertur, privatorum voluntatem in fraudem defenſorum alienam juriſdictionem prorogari non poſſe. Hoc loco magno cum judicio uſus fuit Ludovicus Romanos *conſil. 393. & ſingul. 21.* in caſu emergenti inter civitatem Senenſem, & Caſtrum de Burtigano. Caſtrum appellat Lexiam, Papiæ oppidum, Caſtellum oppidum; ex quo, & ex novella 128. Juſt. notavit Cironius *ad c. ult. de jud. in 5. comp.* & Alii Auctores onomaſtici infimæ Latinitatis. Concordia inquam, inita fuit, ut omnium cauſarum criminalium deciſio ſpectaret ad Senenſem Poteſtatem, cauſæ vero civiles relinquerentur terminandæ Juſtitiario Burtiganenſi abſolute, & independenter. Interrogatus, an cives, ſive incolæ Burtigani rei conventi poſſent privata voluntate in civilibus prorogare juriſdictionem Poteſtatis Senenſis? Reſpondit non poſſe, quia prædicta concordia non favorem civium, ſed Magiſtratus reſpexit. Hanc Romani doctrinam aliis laudatis merito commendat Narbona *in concord. famil. gloſſa 21. n. 15.*

Aliud exemplum deſumi poteſt ex authentica *habita, C. ne filius pro patre*, in qua ſpeciale forum ſcholaſticis attribuitur 9
pro ſpeciali favore, quo digni ſunt, ut verba textus denotant. Igitur e converſo cum in attributione hujus fori inſpecta non ſit niſi ſecundario, & minus principaliter auctoritas Magiſtratus, conſequens eſt, & concors omnium Doctorum ſententia, poſſe ſcholaſticos propria, privataque voluntate alieni Magiſtratus juriſdictionem prorogare, *l. 7. tit. 31. p. 7.* docent poſt Bart. Bald. Salicetum, Gloſſam & Speculatorem, Carleval *d. tit. 1. diſp. 2. n. 492.* noſter Eſcobar *de Regia & Pontif. juriſd. c. 27.* licet diſſentiat cum aliis D. Olea *tit. 2. q. 4. ex n. 63.* Tertium exemplum commode ſumi poteſt ex noſtro textu, ſi ipſum ex ratione metiamur, quæ movit noſtrum Gregorium. Planum eſt, clericum judicis ſæcularis juriſdictionem prorogare non poſſe, cum ſit incapax juriſdictionis in Eccleſiaſticos, *c. decernimus 2.* cum aliis, *de jud.* Quæritur utrum alius judicis eccleſiaſtici incompetentis poſſit juriſdictionem prorogare? Jure antiquo potuiſſe, *ex c. dilecti, de jud.* ſecundum ejus integram, cenſet recte Cironius *ad tit. de transl. Epiſc. & ad tit. de judiciis*. Nihilominus Pontifex clericis prohibuit, ne poſſent alieni judicis eccleſiaſtici prorogare juriſdictionem. Expedit quippe, ut unuſquiſque paſtor oves cognoſcat ſuas, eumque ipſæ cognoſcant, & vereantur, ne detur diœceſum confuſio. Qua de cauſa ſancitum fuit in præſenti, ut ſine propria Epiſcopi licentia, aut permiſſu aliam juriſdictionem clerici non poſſent prorogare; quamvis enim eccleſiaſtica juriſdictio favorem totius ſtatus reſpiciat, tamen negari non poteſt etiam auctoritatem Prælatorum in ea involvi. Quærimus tamen, utrum denegatæ prorogationis cauſa ſit hic promiſcuus favor, ut non poſſit clericus prorogare alienam juriſdictionem ſine ſui diœceſani conſenſu, quia etiam ipſius favor vertitur? an hæc ſit ratio motiva hujus conſtitutionis, & formalis ratio ſit prohibitio Pontificis? Et hanc eſſe propriam, & apodicticam rationem, illud mihi perſuadet, quod ante ipſius conſtitutionem potuit; atqui nunquam negatum fuit, eccleſiaſticam juriſdictionem, coercitionem, correctionem, non minus auctoritatem judicum reſpicere, quam commodum & ſpecialem favorem ſubditorum: ergo hæc ratio ex ſe ſola non impedit prorogationem, ſecluſa prohibitione, in qua conſentiunt Cironius *ad tit. de transl. Epiſc.* Vultejus *in d. l. 1. C. de juriſd. ex n. 117. & 161.* Oſualdus *d. l. 17. c. 10. litt. N*, Greg. *in l. 15. tit. 1. p. 7. gloſſ. 4.* Quintanadvennas *de juriſd. l. 2. tit. 6. nu. 27.* & poſt Pet. Barboſam, alioſque Narbona *in l. 59. tit. 4. l. 2. gloſſ. 1. nu. 12.*

Quibus ita animadverſis apparet jam vera ratio præſentis 10 Traditur ratio decidendi.
deciſionis: nam omiſſis variis traditis a Mariano Socino *in præſ. n. 45.* quas referunt, & refellunt P. Barb. *in l. 1. ar. 3. ex nu. 180. de judiciis*, Carleval *l. 1. de judic. tit. 1. diſp. 98. ſect. 2. n. 179.* dicendum eſt, clericum non poſſe, nec conſentiente Epiſcopo, prorogare juriſdictionem judicis ſæcularis: quia cum ille omnino incapax ſit talis juriſdictionis, *c. at ſi clerici, c. 10. de judiciis*, ideo nulla eſt juriſdictio, quæ prorogari poſſit, nec etiam alterius judicis eccleſiaſtici prorogatio admittitur, quia Epiſcopus quilibet habet privatam juriſdictionem in proprios ſubditos, comparatione aliorum Epiſcoporum, *c. nullus, de parochiis, c. nullus, c. Primas 9. qu. 2.* confunderetur enim juriſdictio eccleſiaſtica, ſi invito proprio Epiſcopo liceret cuilibet clerico alienam juriſdictionem prorogare. Secundæ vero partis præſentis aſſertionis ratio ex eo provenit, nam cum prorogatio admittatur de perſona ad perſonam, poſſunt laici propria auctoritate prorogare juriſdictionem judicis alieni, etiam eccleſiaſtici: quia judex Eccleſiaſticus reſpectu laici non eſt incapax, ſed incompetens, *c. ſi diligenti, hoc tit.* probant Martha *de juriſd. p. 2. c. 6*, Germonius *de ſacr. immunit. l. 2. c. 5. n. 65.* ſed cum Princeps ſit fons, & origo omnis juriſdictionis, *l. 1. & 2. tit. 1. l. 4. recopil. l. 1. ff. ad l. Jul. de ambitu*, Covar. *pract. c. 1.* poteſt prohibere ſubditis, ne prorogent hanc, vel illam juriſdictionem, ut in præſenti textu fecit Pontifex. Unde infertur explicatio *ad leg. 10. & 11. tit. 1. l. 4. compil.* quibus ſpeciali Principis juſſione inhibitum eſt laicis eccleſiaſticorum judicum prorogare juriſdictionem, ſi rei ſint: quod ſi faciant, nullus eſt proceſſus coram eccleſiaſtico fabricatus; Fiſcaliſque Regius nihilominus petere in Aula Auditorum poteſt, ut talis declaretur, cauſaque ad ſæcularem judicem remittatur. Unde fluxit ſtylus Curiæ, ut quando pars,

quæ

quæ per viam violentiæ recurrit ad Aulam, a querela recedit, quam porrexerat, pertuleratque contra proceſſum Eccleſiaſtici, ſic a judicibus Regiis decerni debeat, frequentiuſque decernatur: *Por apartado, no ſiendo auto de legos, o en perivizio de la juriſdiction Real*. Quæ quidem leges Regiæ nec ſunt contra immunitatem eccleſiaſticam, neque contra illam juriſdictionem; quia in laicos reos, cauſiſque mere profanis nulla eccleſiaſticis judicibus competit juriſdictio, *c. novit 13. de jud. capite venerabilem 34. qui filii ſint legit. c. ſolitæ, de major. & obed. extrav. unam ſanctam, eod. tit. c. duo ſunt quippe, c. ſi Imperator, 96. d.* cum ſimilibus, *leg. 14. tit. 1. l. 4. compil.* Poſſent ſane laici, ſi vellent, ſiſtendo in terminis juris communis, eccleſiaſticam juriſdictionem prorogare, & illudere ſæcularibus Magiſtratibus, non ex jure, ſed ex privatorum voluntate: hanc voluntatem irritat lex in materia mere temporali, quo facto abſque ulla fraude Eccleſiæ, ſine ullo odio juriſdictionis ejus, lex actum prævium præparantem prorogationem annullat. Suſtinenda ergo eſt lex politica, quam omnes Chriſtianæ nationes habent, ut de Gallia teſtatur Rebuffus *ad leg. Galliæ, t. 3. tit. ut laici coram eccleſiaſticis judicibus non conveniantur*: de Aragonia Joſeph Seſſe *de inhibit. c. 9. §. 3.* de Luſitania Pereyra de Caſtro *de manu regia 2. to. c. 35.* P. Barboſa *in leg. 1. de jud. art. 3. n. 139.* de Navarra Martin. Navarr. *conſil. 51. ſub hoc tit. de ſent. excomm.* & indiſtincte de ejus juſtitia, aut juſtificatione, Vaſquez, Menchaca *uſufreq. c. 14. num. 35.* Frances *de compet. c. 49.*

Nec obſtant difficultates ſupra expenſæ. Non prima; procedunt enim juris principia in ea adducta in laicis jure communi prorogantibus juriſdictionem, ut late proſequitur Carleval *ubi ſup.* at in Clericis ex ratione ſupra adducta ſpecialiter conſtitutum eſt, ut proprii Epiſcopi licentia ad juriſdictionis prorogationem deſideretur, alias notum eſt in prorogatione non aliorum, quam ipſorum litigatorum deſiderari conſenſum, ac ne ejus quidem cujus prorogatur juriſdictio, nec denique judicis ordinarii, & competentis, utpote cui nihil hic adimitur, *l. 2. §. 1. ff. de jud.* Vultejus *in l. 1. C. de juriſd. n. 66.* Nec augmentum difficultatis refragatur, quia licet expreſſe non poſſit Clericus judicis alieni prorogare juriſdictionem inſcio proprio Epiſcopo, tacite tamen contrahendo certo loco, aut deſtinando ſolutionem, recte illam facere valet, quia ipſa non naſcitur ex mera voluntate, & conſenſu clerici prorogantis, ſed ex juris diſpoſitione, & aſſiſtentia; jus enim diſponit, contrahentem, aut ſolutionem deſtinantem certo loco, ibi ſortiri forum, convenirique poſſe, ut ſupra probavi; unde cum ita contrahentes pro ſe habent juris aſſiſtentiam, non egent voluntate, aut conſenſu proprii judicis, ut docent Barboſa *diſt. art. 3. n. 222.* Carleval. *ubi ſup. n. 183.* Cæſar *de Eccleſ. Hierarch. diſp. 5. §. 2. nu. 3.* Nec hoc eſt prorogare juriſdictionem, ſed ſortiri forum. Nec dici poteſt prorogatio, ſed fori electio, ſeu mutatio, cum natura liceat unicuique domicilium mutare, & alibi contrahere, *l. in libello 17. §. manumittendo, ff. de captivis*: quare illi licet per contractum, aut ſolutionis deſtinationem forum mutare. Quod agnoſcens Prudentiſſimus Philippus II. in pragmatica edita in favorem agricolarum, poſtquam illis prohibuit generaliter ſe alieno judici ſubjicere, quia ſatis proſpectum per eam prohibitionem non erat, adjecit, nec ſolutionem debiti alibi deſtinare. Nec ſecunda difficultas adverſatur, cujus ſolutio pendet ex illa quæſtione ſupra agitata, utrum videlicet de loco ad locum detur prorogatio.

Huic commentario annectenda ſunt, quæ adduxi *in cap. P. & G. de officio deleg.*

C A P U T XIX.

a Idem.

PRopoſuiſti nobis, quod quidam ſubditus tuus ad petitionem cujuſdam adverſarii ſui a te legitime citatus ad cauſam, quia poſtmodum juriſdictionis alterius eſſe cœpit, tuum intendit judicium declinare. Porro tuæ prudentiæ dubium eſſe non credimus, quod is in prædicta cauſa jus revocandi forum non habet, quaſi ab illo jam præventus.

N O T Æ.

1 a *IDem.*) Gregorius videlicet IX. cui tamen reſcripſit in præſenti, non conſtat: nam cum epiſtolis hujus Pontificis careamus, non facile lacunæ, quæ in ipſius deciſionibus reperiuntur, ſuppleri valent.

C O M M E N T A R I U M.

2 Traditur concluſio. EX hac decretali communiter talis deducitur aſſertio: *Legitime citatus tenetur coram judice citante cauſam proſequi, non obſtante privilegio ſuperveniente*, Probant eam textus *in l. cum quædam 19. ff. de juriſdict. l. ubi acceptum 30. l. ſi quis poſteaquam, ff. de judic. l. Ædiles 25. §. Item 8. ff. de ædil. edict. l. tutor 28. l. ult. ff. de excuſat. tut. l. 4. C. de juriſdict. l. ult. C. de veteran. l. ult. C. de in jus vocand.* quam ex Græco ſermone in Latinum refert Cujacius *l. 3. obſerv.* Conſonat lex 12. *tit. 3. p. 3.* Illuſtrant ultra congeſtos a Balboa, Barboſa, Vegas, Kling, Garanna & Fermoſino in præſenti, Cujacius & Cavallerius in hoc textu, Corraſius, Matheacius, & Zazius *in d. lib. pen. ff. de juriſd.* Cujacius, Amorinus, & P. Barboſa *in l. 7. ff. de judic.* Donell. *l. 17. comm. c. 18.* Faber *in rationali ad textum in d. l. 7.* Merillus *l. 1. obſerv. c. 33.* Vultejus *in l. 4. C. de juriſd.* Gailus *l. 1. obſerv. c. 11.* Carleval *de jud. l. 1. tit. 1. diſp. 2. q. 6. ſect. 7. n. 635.* Tondutus *de prævent. p. 1. c. 27. n. 52.* Cabedo *t. 1. deciſ. 4.* Anſald. *de juriſd. p. 2. tit. 11. c. 15.* Barboſa *in l. 2. §. 3. n. 44. de judic.* Marinis *l. 1. reſol. cap. 54.*

3 Traditur ratio dubitandi. Sed pro dubitandi ratione expendi poteſt ſequens conſideratio; nam ſi poſt litem conteſtatam non poſſet quis novum forum ſortiri, nec liceret ei domicilium mutare: cum etiam ratione domicilii quis ſortiatur forum, *c. fin. hoc tit.* ſed licet cuicumque, etiam poſt litem conteſtatam coram uno judice, domicilium mutare, niſi illi interdictum ſit, *l. nihil 31. ff. ad munic.* quæ eſt Marcelli, cujus etiam eſt textus *in d. l. ubi 30 ff. de jud.* Igitur licet poſt litem conteſtatam forum mutare. Augetur hæc difficultas ex eo, nam novum non eſt, ex dignitate, aut officio poſtea ſuperveniente ſtatum mutari, quod probatur primo *ex l. hos accuſare 12. ff. de accuſat.* ubi Venulejus IC. reſpondit, Præſidem provinciæ, ſeu Legatum, de crimine per eum commiſſæ prius quam in legationem iret, accuſari nequaquam poſſe. Secundo *ex l. Prætor 12. de vacat. & excuſat. muner.* ubi habetur, quod qui ſacerdotium nacti ſunt, a civilibus muneribus, quibus antea nexi erant, liberantur. Tertio *ex l. non ſolum 12. §. qui primipilum, l. ſpadonem 17. l. juriſperitos 33. ff. de excuſat. tut.* ubi excuſatio ſuperveniens liberat tutorem a munere tutelæ, quo adſtringebatur, & qui poſt delictum perpetratum clericus factus fuit, debet puniri per judicem eccleſiaſticum, ut communiter docent Covarr. *practic. q. 72. n. 4.* Plaza *l. 1. de delictis, c. 35.* Petrus Carballo *t. 1. reſol. cent. 2. caſu 108*, Jul. Clarus, Gratianus, Decianus, & alii, quos laudat & ſequitur Tondutus Sanlegerius *p. 2. reſol. tit. 11. c. 15. n. 50.* Igitur privilegium ſuperveniens prodeſt reo etiam poſt litis conteſtationem.

Qua dubitandi ratione ita fulcita minime obſtante, verum eſt, privilegium ſuperveniens poſt citationem realiter factam, 4 Adducitur ratio decidendi.
non eximere reum a juriſdictione jam præventa: & omiſſis quæ late tradunt Fermoſ. *in præſ.* de citatione, & quando per eam inducatur præventio abſque litis conteſtatione, Carleval *de jud. d. ſect. 7.* de privilegio ex fraude obtento, a Principe conceſſo: præſentis deciſionis ratio ex eo provenit, nam ubi, & quomodo eſt acceptum judicium, ibi finiri debet, *d. l. ubi captum*: & ad radicandum judicium attenditur tempus citationis, ut in eo cauſæ cognitio ſpectet ad juriſdictionem citantis: pluribus relatis docet Carleval *ubi ſup. n. 617.* qui numeris ſequentibus recte infert, eum qui propter privilegium citatus fuit coram certo judice, ceſſante privilegio, coram eo condemnari, aut abſolvi debere, cum tantum attendatur tempus citationis. Accedit; quia ſicut per citationem judici acquiritur juriſdictio *ex c. gratum, de offic. deleg.* ita & judicium radicatum eſt, ut dicemus *in c. 1. de litis conteſt.* igitur poſt radicatum judicium, etiam per privilegium ſuperveniens mutari non debet.

Nec obſtat dubitandi ratio ſupra perpenſa; nam licet per 5 Reponderatur difficultati.
privilegium ſuperveniens non acquiratur novus forus, nec mutetur antiquus, per novum tamen domicilium, qui eum mutavit, novum forum ſortitur; diſcriminis ratio ex eo provenit, nam non creditur aliquem rerum omnium ac fortunarum ſuarum ſummam transferre voluiſſe, ut judicium mutaret, at communiter creditur, reum privilegium novum acquirere affectaſſe, ut forum antiquum evitaret, ut conſiderat Merillus *l. 1. obſerv. c. 33.* Nec obſtat difficultati augmentum deductum ex variis juris locis, in quibus docetur, ob privilegium ſuperveniens dari excuſationem a munere injuncto. Nam reſpondendum eſt, ea jura procedere, quoties nova excuſationis cauſa ſuperveniens eſt incompatibilis cum munere antiquo; tunc enim liberatur a priſtino munere injuncto, quia non poteſt illud obire, dignitate poſtea adepta, latius proſequitur ipſorum textuum interpretationem Anſald. *de juriſd. par. 2. tit. 11. c. 15.* qui inde infert, & probat, ſine fraude, & dolo ſacris ordinibus initiatum, aut religionem profeſſum, debere conveniri coram judice eccleſiaſtico, quia vere ordinatus reperitur, nec creditur judicii mutandi cauſa ſtatum mutaſſe: ſi vero ex fraude & dolo, animo tantum mutandi judicium reus ordinetur, contrarium obſervari ipſe late reſolvit. Unde familiares ſancti officii Clerici, & ceteri privilegiati, ſi ante adeptam familiaturam, vel privilegium, ſeu clericatum, aliquod crimen perpetraverint, an puniri debeant a judice ordinario, an a judice privilegii, anceps quæſtio eſt apud bonæ notæ Doctores. Placet cum diſtinctione componendam eſſe contrarietatem, ſcilicet quod ſi delinquens, cum dolo, & fraude adeptus fuit privilegium, familiaturam, ſeu clericatum, ad effugiendum forum judicis ordinarii, tunc non gaudet privilegio: ſi vero abſque fraude & dolo, gaudet fori privilegio: & ad hanc quæſtionem, & materiam vide Narbonam *in leg. recop. l. 20. tit. 1. l. 4. recop. gloſſ. 21. n. 38. cum ſeq. f. mihi 574.* Salgado *de regia protect. 2. p. c. 2. n. 49.* Covarr. *in pract. c. 32. n. 4.* Ant. Gomez *var. 3. t. c. 10. n. 5.* Gutierrez *pract.*

l. 1.